

cio prefato, ut supra. Item liberum erit cuilibet Episcopo morienti disponere de rebus suis mobilibus, & dare cui voluerit, prout ipse salutis suæ & animæ viderit expedire.

Vasalli Ecclesiæ Bremensis habent & possident iudicia sanguinis & exercent ea, & a nullo habent ea in pheidum.

Dominus eorum Archiepiscopus Bremensis non habitis regalibus ab Imperatore, non audet committere, ut exercent iudicium sanguinis. Vasalli Ecclesiæ propria auctoritate exercent ea, nec a Domino eorum recipiunt in pheidum, nec ab aliquo alio Domino spirituali vel temporali. Dubitatur, utrum hoc facere possunt. Si non possunt, mandetur eis, quod a Domino recipiant in pheidum, vel quod Dominus eorum committat eis exercitium iudicii. Item quod propria auctoritate non vendant iudicia ista. Sic sapius fecerunt. Item dubitatur, utrum Ministerialis possit habere vel exercere vel exerceri facere iudicium sanguinis, & vendere illud auctoritate propria?

## XXIV.

CHRONICON SAXONVM  
QVEDLINBURGENSE.

Ex MSto.



*Valentinianus* cum fratre *Valente* regnavit annos XI. *Valentiniano* ergo in fide catholica fideliter permanente, frater suus *Valens* ab *Eudoxio* Arriano Episcopo rebaptisatus, Christianos persequitur in tantum, ut suæ Potestatis decreto Monachos militare, nolentesque fustibus iuberet interfici.

Hoc tempore gens *Hunorum*, diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque sparsim conturbatos, ab antiquis sedibus ultra Danubium expulit.

Qui a *Valente* imperatore sine armorum depositione suscepti, mox fame per avaritiam illius ad rebellandum coacti sunt, victoque Imperatoris exercitu, per Thraciam discurrentes, omnia caedibus, incendiis, rapinisque vastarunt.

*Ambrosius* & *Martinus* Episcopi claruerunt & Gothi hæretici facti sunt.

Eo tempore gens Alamannorum prava ac pessima rebellaverunt contra *Valentinianum* Imperatorem. Qui victi ab eo, super Danubium fluvium fugerunt, & intraverunt *Maotidas paludes*. Dixit autem Imperator: Quicumque potuerit introire in paludes istas, & gentem istam pravam eiecerit, concedam eis tributa donaria annis X. Quod audientes Troiani, qui reliquæ erant exercitus *Antenoris* fugientis de Troia, & eum sequi non valentes, XII. milia ingressi *Maotidas paludes*, iuxta terminos *Pannonia* ædificaverunt civitatem nomine *Sicambriam*, habitaveruntque illic multis annis, donec creverunt in gentem magnam. Ingressi propter remissionem decennium tributorum post Alamannos, interfecerunt eos. Tunc appellavit illos Troianos *Valentinianus* Imperator Attica Lingua *Francos*, hoc est, *feros* a duritia vel audacia cordis eorum. Postea egressi a *Sicambria*, venerunt in Germanicam iuxta *Rhenum* fluvium, habentes super se duos Principes, *Friamum* & *Antenorem*. Qui rebellantes contra Romanos, victi sunt ab *Aristarcho* principe militiæ & tributo subiecti, occisis utrisque prædictis principibus. Mortuo autem *Sunone* filio *Antenoris* & *Marchomire* filio *Friami*, qui super *Francos* defunctis Patribus regnaverunt, elegerunt *Faramundum* *Marcomiris* filium, & elevaverunt eum super se regem crinitum. Exhinc *Franci crinitos reges* habere ceperunt, usque ad *Hildericum* Regem, cuius *Pippinus* qui *maior Domus* vocabatur, *Magni Caroli* pater, regnum simul cum nomine rapuit.

Mortuo *Faramundo* regnavit *Chlodio*.

Post *Chlodionem* *Merongus*, a quo *Franci Merongi* vocati sunt.

Post *Merongum* filius suus *Heldericus*, Pater *Chlodovei* Regis incliti regnavit.

Hic *Chlodoveus* a beato *Remigio* primus *Francorum* regum cum omni exercitu baptisatus, expulit *Ægidium* Consulem Romanum, filiumque eius *Siagrium* occidit, tulitque *Martiano* Imperatori, quicquid Romani intra *Rhenum* & *Ligerem* fluvios possidebant.

Post mortem *Chlodovei*, quatuor filii eius regnum eius inter se diviserunt æqualiter, id est, *Chlodomirus*, *Hildibertus*, *Lotharius*, & *Hugo*. *Theodoricus*, de concubina genitus, qui, data terra *Thuringorum*, maxima ex parte, *Saxonibus*; qui remanserant, *Thuringos*, regis territorii fecit tributarios in porcis.

Mortuo *Theodorico* regnavit *Theobertus*.

Post illum *Theobaldus*.

Mortuo *Theobaldo* regnavit *Lotharius*.

Post



Post hunc *Hespericus*.

Post hunc *Lotharius* pater *Dagoberti* regis. Hic *Lotharius* occiso *Bertholdo* duce Saxonum, & pervagata omni terra eorum, nullum hominem longiorem in ea viventem reliquit, quam gladius suus fuerat, quem *spatam* vocant.

Mortuo *Dagoberto*, regnavit post eum filius eius *Sigobertus* & *Chlodoveus*.

Post *Chlodoveum* *Lotharius*.

Post eum Fratres eius *Theodoricus* & *Hildericus*. Erat enim ipse *Hildericus* levis nimis, sub cuius tempore *Pippinus* filius *Ansigi* maior domus erat.

Post hunc administrationem aulae, *Carolus* filius eius procurabat.

Quo mortuo, ultimo *Merungorum* *Hildericus* regno sublato, *Pippinus* *Caroli* filius, decreto *Zachariae* papae ex *Palatino* comite in Regem ungitur, qui genuit *Carolus Magnum*.

Post *Valentinianum* *Gratianus* Imperator annis VI. regnavit, cum *Valentiniano* fratre.

*Valentinianus* cum *Theodosio* annis IX.

*Theodosius* cum *Arcadio* filio annis XI. *Hieronymus* Presbyter apud *Bethlehem* super omnes historiographos enituit.

*Arcadius* filius *Theodosii* cum fratre *Honorio* annis XIII. *Honorius* cum *Theodosio* minore, fratris sui *Arcadii* filio, annis XII. *Alaricus* Rex *Gothorum* *Romam* invasit; & septimo *Honorii* regnantis anno revelavit Deus *Luciano* Presbytero venerabili corpora sanctorum, *Sancti Stephani* Protomartyris & *Gamalielis*, qui Doctor Apostoli *Pauli* erat, & filii eius *Abibon*; & *Nicodemus*, qui venit ad *Iesum* nocte primam; quae *Johannes* Hierosolymitanus Episcopus in sanctam cum maximo honore transtulit Ecclesiam *Sion*.

*Hieronymus* Presbyter XII. *Honorii* anno apud *Bethlehem* obiit, anno aetatis suae XCI.

*Theodosius minor* *Arcadii* filius annis XXVI. *Augustinus* *Hypponenfis* Episcopus & sanctae Ecclesiae doctor eximius obiit. Huius *Theodosii* tempore *Bleila* & *Attila* fratres in *Hunnis* regnaverunt & *Illyricum* *Thraciamque* depopulati sunt.

*Martianus* cum *Valentiniano* *Placidiae* filio annos VII. *Angli* terram, quam nunc *Dani* possident, relinquentes, cum rege suo *Anglingo*, invitante & conducente eos rege *Vertigere*, contra *Scotos* & *Pictos* *Britanniam* petunt.

*Calcedonense concilium* sub *Leone* Papa colloctione DCXXX Patrum agitur. Mortuo *Bleila*, *Attila* eius frater omnem penè *Galliam* devastavit, quo usque, Deo annuente, per *Aegidium* [Aëtium] patritium, & *Thurismodum*, *Remensis* civitatis Principem Gothicum, fugatus est. Eo tempore *Ermanicus* super omnes *Gothos* regnavit, astutior in dolo, largior in dono; qui post mortem *Fridorici* unici filii sui, sua perpetrata voluntate, patruelis suos *Embricam* & *Fritlam* patibulo suspendit. *Theodoricum* similiter patruelem suum, instimulante *Odoacro* patruele suo, de *Verona* pulsus apud *Attilam* exulare coëgit.

*Aëtius* patricius magna occidentalis reipubl. salus, & regi *Attilae* etiam terror, à *Valentiniano* juniore occiditur. Cum quo *Hesperium* cecidit regnum, neque haecenus valuit relevari.

*Leo maior* annis XVII. *Aegyptum* error *Dioscori* lacerat.

*Leo minor* annum I.

*Zeno* annos XVII. *Odoacar* rex *Gothorum* *Romam* obtinuit.

*Anastasius* annos XXVII. *Fulgentius* Episcopus praedicat.

*Ermanici* regis *Gothorum*, à fratribus *Hernido* & *Serila* & *Adaocaro*, quorum patrem interfecerat, amputatis manibus & pedibus turpiter, uti dignus erat, occisio.

*Amulvinus* *Theoderic* dicitur, proavus suus *Amul* vocabatur, qui *Gothorum* potentissimus censebatur. Et iste fuit *Theoderic de Berne*, de quo cantabant rustici olim. *Theodericus* *Attilae* regis auxilio in *Regnum* *Gothorum* reductus, suum patruelem *Odoacrum* in *Ravennae* civitate expugnatum, interveniente *Attila*, ne occideretur, exilio deputatum, paucis villis iuxta confluentia *Albia* & *Sala* fluminum donavit. *Anastasius* autem Imperator, haereticis favens, fulmine interiit.

*Iustinus* annis IX. *Theodericus* *Roma* potitus, sanctum *Iohannem* Romanum Pontificem in *Ravenna* in carcere detentum, ad mortem usque perducens, praclaros quoque Consules *Symmachum* & *Boëtium* occidit. Ipse vero *Theodericus* XCVIII. die, postquam *Iohannes* Papa defunctus est, subitanea morte interiit: Cuius regnum nepos suus *Atalaricus* suscepit. Eodem tempore sanctus *Benedictus* in *Monte Cassino* velut sol emicuit.

*Iustinianus* Imperator annis XXXIX. Huius VI. anno quinta synodus celebratur. Primus *Dionysii* circulus inchoat, anno Dominicae incarnationis DXXXII. & codex *Iustinianus* de Legibus, Romano orbi promulgatus est. Eodem anno *Hugo* *Theodericus* rex, *Clodovei* regis filius, ex concubina natus, cum Patri successisset in *Regnum*, ad electionem suam *Irminfridum* regem *Thüringorum* honorifice invitavit.

*Hugo* *Theodericus* iste dicitur idem *Francus*, quia olim omnes *Franci* *Hugones* vocabantur, à suo quodam Duce *Hugone*. Qui quamvis nothus esset, à patre *Chlodoveo* propter sapientiam & fortitudinem, sibi divinitus collatam, ceteris filiis suis plus dilectus, suo iussu totiusque populi consensu, inter fratres suos nobiles *Clodomirum*, *Hildebertum*, & *Lotharium*, aequalem regni



regni partem suscepit. Cuius parti cum Thuringia cessisset, *Irminfridus* gener eius, hortatu uxoris suæ *Amelburgæ*, invitationem Regis respuit, dicens: Theodoricum uxoris suæ, quæ soror erat Theodorici, potius esse debere servum, quam sibi vel aliis regem vel Dominum. Veniat primum, dixit ad nuncium, ferens secum multiformis pecuniæ cumulum, ut emat ab uxore mea, ab utroque parente nobili, me iubente, libertatis testamentum. Quo responso unanimi Francorum furore commoto, Theodoricus remandavit ei dicens: Veniam, ut iussisti. Etsi aurum mihi non defecerit, suffecerit, pro libertate mea Thuringorum Francorumque capita dabo, numero inexplicabilia; Statimque collecto exercitu, venit in regionem *Maerften* vocatam, & *Irminfridum* illic sibi bello occurrentem, multa cæde suorum vicit, & fugavit. Quem insēcutus usque ad *Ovaccram* fluvium, iuxta villam *Arhen* vocatam, maximo prælio fudit; illoque fugato, propter suorum casum & viventium vulnera, amplius eum persequi destitit, seque ob curationem dolentium statuis munierat castris. Audiens autem Theodoricus, *Saxones*, quorum jam fortitudo per totum penè divulgabatur mundum, in loco *Hadalaon* dicto, applicuisse, in suum eos convocavit auxilium, promittens eis cum suo suorumque XII. nobilissimorum iuramento, si Thuringos sibi adversantes vincerent, omnem illis eorum terram daturum, usque ad Confluentiam *Sala* & *Vnstrutæ* fluviorum. Qui nihil morantes venerunt ad eum, & persequentes *Irminfridum*, pugnaverunt contra eum super *Vnstrutan* fluvium, tantamque Thuringorum stragem illic dederunt, ut ipse fluvius eorum cadaveribus repletus, pontem illis præberet. *Irminfridus* autem cum uxore & filiis, & uno milite *Iringo* nomine, capta à Saxonibus noctu civitate *Schidinga*, qua se concluderat, vix evasit. Tunc Theodoricus accepto consilio victoribus tradidit Saxonibus omnem terram Thuringorum, excepta quam *Loicvia* & *Haerz* sylvæ concludunt, absque tributo perpetuo possidendam. Thuringos vero, qui cædi superfuerant, cum porcis tributum regis stipendiis solvere iussit. Post hæc Theodoricus data fide *Irminfrido*, in *Zulpiaco* civitate illum dolo perimi iussit. *Atilia* rex Hunnorum & totius Europæ terror à puella quadam, quam à patre occiso vi rapuit, cultello perfoesus interiit.

*Iustinus minor* Imperator annis XI. regnavit. *Armenii* Christi fidem suscipiunt.

*Tiberius* annis VI. *Longobardi* Italiam vastavit.

*Mauricius* annis XI. *Gregorius Magnus* Romæ floruit. Iste universæ probitatis ornamento præclarus, *Augustinum* Episcopum cum monachis in Britanniam misit, ut genti *Anglorum* verbum Dei evangelizarent, anno incarnationis Dominicæ DCCVI.

*Phocas* annis VIII. *Angli Saxones* in Britannia fidem præcipiunt.

*Heraclius* annis XXXVI. *Iudei in Hispania* Christiani efficiuntur.

*Heracleonas* cum matre sua *Martina* annis II. *Pyrrhus* regis urbis episcopus, à *Theodoro* Papa in basilica beati Petri Apostoli damnatur.

*Constantinus* Constantini Filius annis XVII. Hic sextam synodum composuit, cuius rogatu *Agatho* Papæ misit in regiam urbem legatos suos; in quibus erat *Iohannes*, Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longe post episcopus, pro adunatione faciendâ sanctarum Dei Ecclesiarum: qui benignissime suscepti à Reverendissimo fidei Catholicæ defensore *Constantino*, iussi sunt remisissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio de fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quosquos petebant, libellis. Assuerunt autem & episcopi CL. præsidente *Georgio* patriarcha urbis regis, & *Anthiochiz Machario*, & convicti sunt, qui unam voluntatem & operationem in Christo docebant, falsasse Patrum catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu *Georgius* correctus est, *Macharius* verò cum suis sequacibus simul & præcessoribus, *Cyro*, *Sergio*, *Honorio*, *Pyrrho* & *Paulo* & *Petro* anathematizatus & in locum eius *Theophanius* Abba de Sicilia, *Antiochiz* episcopus factus, tantaque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, ut *Iohannes Portuensis* Episcopus, qui erat ex ipsis unus, dominica octavarum paschæ missas publicè in Ecclesia sanctæ Sophiæ, coram Principe & Patriarcha, latinè celebraret. Hæc est III Synodus Constantinopoli celebrata.

Dominicæ incarnationis anno DCCVIII. *Conradus* Rex de Britannia Romam perrexit, ibique attonsus ac monachus factus, in ieiuniis & orationibus usque ad diem permansit ultimum. Eodem anno mortuus est *Druogo*.

DCCIX. Durus, & deficiens fructus.

DCCX. *Pippinus* rex perrexit in Alamanniam.

DCCXI. Aquæ inundaverunt valdè.

DCCXII. Mors *Heriberti* regis Longobardorum.

DCCXIII. Mors *Pippini* Regis, qui fuit filius *Ansigi*, post quem *Carolus* eius filius regnavit.

DCCXV. Pugna Francorum & Mors *Dagoberti* regis.

DCCXVI. Pugnavit *Carolus* contra *Ratbodum* regem.

DCCXVII. Pugnavit *Carolus* contra Francos, in dominica die ante pascha.

DCCXVIII. Vastavit *Carolus* Saxoniam plaga.

DCCXIX. Occisio Francorum ad *Suessionis* civitatem & mors *Ratbodi* regis.

DCCXX. Pugnavit *Carolus* contra *Saxones*.

DCCXXI. Magna fertilitas facta est.

DCCXXIII.



- DCCXXIII. *Saraceni* primitus Italiam ingrediuntur.  
 DCCXXVII. Sanctus *Egbertus* migravit ad Christum.  
 DCCXXVIII. DCCXXIX. Cometa apparuerunt.  
 DCCXXXI. Carolus vastavit ultra Ligerim. *Raginfridus* mortuus est.  
 DCCXXXII. Carolus pugnavit contra *Saracenos* die Sabbathi.  
 DCCXXXIII. Eclipsis solis facta est.  
 DCCXXXIII. Carolus perrexit in *Fresiam*.  
 DCCXXXV. Carolus *Wafcones* vastavit. *Beda* nobilis Presbyter & præclarus doctor obiit.  
 DCCXXXVI. Initium *Herolfesfeldensis* monasterii. *Audoinus* episcopus obiit.  
 DCCXXXVII. Carolus pugnavit contra *Saracenos* in *Gothia*.  
 DCCXXXVIII. Carolus *Saxoniam* iterum introivit, & fecit eos tributarios.  
 DCCXXXIX. Carolus *Provinciam* intravit usque in *Massiliam*.  
 DCCXL. Pax sine ulla hostilitate.  
 DCCXLI. Carolus moritur filius Pippini, post quem *Carolomannus* & *Pippinus* filii eius regnaverunt.  
 DCCXLIII. Initium *Fuldensis* monasterii.  
 DCCXLVI. *Carolomannus* *Alamanniam* ingreditur. Sanctus *Burcardus* ordinatus est primus Episcopus in *Wirzburgk*. Eodem anno Sanctus *Wigbertus* migravit ad Christum.  
 DCCXLVII. *Carolomannus* Romam pergens tonsuratur, fratri Regnum relinquens.  
 DCCXLVIII. *Griphe* fugit in *Saxoniam*.  
 DCCXLVIII. Pippinus decreto *Zachariae* Papæ, per unctionem sancti *Bonifacii* Archiepiscopi rex appellatur, & *Hildericus* falso rex vocatus, tonsuratus in monasterium remittitur.  
 DCCLI. *Landfridus* obiit.  
 DCCLII. *Griphe* moritur.  
 DCCLIII. *Stephanus* Papa ad *Pippinum* in Franciam veniens, defensionem petit contra *Haisulfum* regem.  
 DCCLIII. *Stephanus* Papa duos filios Pippini *Carolum* & *Carolomannum* unxit in reges.  
 DCCLV. *Bonifacius* Archiepiscopus pro Christi nomine martyrio coronatur, cui *Lull* successit.  
 DCCLVII. Organa venerunt in Franciam.  
 DCCLVIII. *Pippinus* Saxonibus superatis tributum imposuit, ut ccc. equos singulis solverent annis.  
 DCCLIX. Pippinus in *Wafconiam* venit.  
 DCCLXIII. Hiems grandis.  
 DCCLXVIII. Pippinus rex acquisivit omnem partem *Aquitaniæ*, & *Wifarius* est interfectus. Eodem anno Pippinus rex revertens ab *Aquitania* ad *Sanctum Dionysium*, VIII. Kal. Octob. obiit, filiis suis *Carolomanno* & *Carolo*, qui cognominatur *Magnus*, regnum relinquens.  
 DCCLXX. Hoc anno *Betrada* mater *Caroli* filiam *Desiderii* regis de *Italia* adduxit in Franciam.  
 DCCLXXI. *Carolomannus* frater *Caroli* obiit, regnum relinquens fratri suo *Carolo* Magno.  
 DCCLXXII. *Carolus* in *Saxonia* *Hereshburg* expugnat, & fanum eorum, quod vocatur *Irminful*, subvertit.  
 DCCLXXIII. *Carolus* invitatus ab *Hadriano* Papa, Italiam ingrediens *Desiderium* regem in *Papia* obsedit.  
 DCCLXXIII. *Carolus* *Papiam* cepit & *Desiderium* regem in Franciam duxit. Eodem anno *Saxones* Ecclesiam in *Fridislare*, quam Sanctus *Bonifacius* ædificavit & dedicavit, lignis & igne implentes incendere volebant; sed minimè valebant.  
 DCCLXXV. *Carolus* *Siburek* cepit, & iuxta *Brunesberch* *Saxones* bello vicit; qui postea *Francos* in castris iuxta *Lidbiki* nimia clade prosterunt. Regi vero iuxta *Ovacram*, *Hesfi* cum suis supplex occurrit.  
 DCCLXXVI. *Saxones* Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur. Sed prius *Hereshburg* ceperunt, militibus Regis, qui intus erant, interfectis.  
 DCCLXXVII. *Carolus* publicum habuit conventum *Padarburnon*.  
 DCCLXXVIII. *Carolo* pugnante contra *Saracenos*, *Saxones* *Longana* vastantes; inde *Ducciam* & *Confluentiam*; in ecclesiis Dei & sanctimonialibus multa crimina commiserunt.  
 DCCLXXIX. *Carolus* contra *Saxones* iuxta *Bocholt* pugnavit & vicit.  
 DCCLXXX. *Carolus* inter *Aræ* & *Albie* confluentiam *Saxones* baptisari præcepit.  
 DCCLXXXI. *Carolus* Romam perrexit, & ibi baptisatus est filius eius *Carolomannus*, quem *Hadrianus* Papa mutato nomine vocavit *Pippinum*, & ibi desponsata est filia eius *Ruodrud* *Constantino* Imperatori. Eodem anno *Carolus* de *Roma* reversus in Franciam, terram *Saxonum* inter Episcopos divisit, & terminos episcopis constituit; & Sancto *Stephano* Protomartyri



tyri in loco, qui dicitur *Seligansledi*, monasterium construxit, quod postea in locum translatum est, qui dicitur *Halversede*, ubi nunc est sedes Episcopalis. Idque ad corrigendum & propagandum Cathalaunensi Episcopo *Hildegriuo*, qui frater erat beati *Ludgeri* confessoris, commendavit; huiusque Episcopii terminos constituit *fluvios Albiam, Salam, Unstrudam, fossam iuxta Gronighe*, altitudinem sylvarum, quæ vocatur *Haertz, Ovaccram, Schuntram, Dasanek, Drihterbiki, Aeleram, Jsunnam paludem*, quæ dividit *Bardangaos & Hutangaos, Aram, Millam, Bumam & Precekinam* & iterum *Albiam*.

DCCLXXXII. *Vuidekind* cum Saxonibus quatuor præfectos Caroli, totumque eius, paucis evadentibus, exercitum in loco, qui dicitur *Suntal*, interfecit.

DCCLXXXIII. Obiit *Hildegard* regina, pro qua rex *Vastradam* duxit. Mater regis *Bertrad* obiit.

DCCLXXXIII. Carolus pugnavit contra Saxones in *Thiatmelli*, & iterum iuxta *Hasa* fluvium.

DCCLXXXV. Carolus per Thuringiam intravit Saxoniam, rebelles sibi devastans usque ad villam, quæ dicitur *Schenighe*; & filius eius *Carolus* interim pugnavit contra *Westfalos* in pago, qui dicitur *Dreini*. Postea Rex totum illum annum in Saxonia cum exercitu sedens, omnia exercitui necessaria Saxones sibi ministrare præcepit. Inde rex *Attiniacum* reversus, *Widikindum*, sibi huc usque rebellem, & *Albonem* cum sociis eorum, datis sibi obsidibus, in eadem regia villa baptizari præcepit. Quibus baptizatis tota Saxonia Domino *Carolo* subiugata est. Coniuratio *Hardadri* Comitis & orientalium Francorum sapienter oppressa est.

DCCLXXXVI. Carolus perrexit in *Italiam*, & inde *Romam*. Eclipsis solis facta est XV. Calend. Octobris ab hora diei prima usque ad horam quintam. Multa etiam referuntur signa eodem tempore apparuisse. Signum enim *crucis in vestimentis* hominum apparuit. *Lull* archiepiscopus obiit, cui *Richolfus* successit.

DCCLXXXVII. Carolus omnem penè *Calabriam* atque *Appuliam* in ditionem suscepit.

DCCLXXXVIII. Carolus per Alamanniam pervenit ad fines *Baiovariorum*, & *Tasfilio* dux *Baiovariorum* ob infidelitatem de principatu ejicitur & tonsuratur & *Thiado* filius eius similiter, uterque monachi facti.

DCCLXXXIX. Carolus gentem *Wilzor* subegit, qui *Lucici* vocantur, duobus super *Albia* flumen pontibus factis.

DCCXC. Palatium *Wormatiae* ignis consumpsit.

DCCXCI. Carolus *Avarorum*, id est, *Hunorum* gentem subegit. Carolus habuit quatuor filios: primum *Carolum*, *Pippinum* Regem *Italiae*, *Luotovicum* Regem *Aquitaniae*, *Drogonem* *Metensis Ecclesiae* Episcopum. Iste vero *Pippinus*, qui in eum conjuraverat, filius illius erat de obscuri generis matre, non ille *Pippinus* Rex.

DCCXCII. Coniuratio *Pippini* contra Patrem suum *Carolum* per *Fardulfum* publicata est: unde ipse *Pippinus* attonsus in Monasterium recluditur, ceterique omnes, alii decollati, alii patibulo suspensi sunt. Et *Fardolfo* commendavit monasterium sancti *Dionysii* pro remuneratione.

DCCXCIII. Saxones iterum rebellaverunt, deficientes à fide.

DCCXCIII. Hæresis *Feliciana* Synodo apud *Franconfort* habita damnata est. *Vastrad* regina obiit; pro qua rex *Lutgartham* in coniugium duxit: & æquivocus eius pugnavit contra Saxones in *Sinadevelde*.

DCCXCV. Carolus in *Bardenwick* cum exercitu venit.

DCCXCVI. *Hadrianus* papa Romanus obiit, cui *Leo* successit: & Carolus Saxoniam vastat.

DCCXCVII. Carolus iterum cum exercitu Saxoniam invadit, totamque hiemem in *Herestelli* ducit.

DCCXCVIII. Carolus *Nordelingos* legatorum suorum interfectores multa cæde prostravit.

DCCXCIX. *Leo* Papa lingua truncata excæcatus à Romanis, & de pontificatu eiectus. Videns & loquens venit ad *Carolum* in Saxonia ad locum, qui vocatur *Padarburnon*, quem rex honorifice susceptum Romam reduci, & omnia sua sibi restitui iubet. Eodem anno *Gherald* *Baioriarum* Marchio clarus, & *Ericus* dux *Foroiulensis* ab Hunnis interfecti sunt.

DCCC. Carolus dum *Thuronicam* venisset ad urbem, *Lutgard* uxor sua præclara illic mortua est. Inde reversus in Franciam, perrexit *Romam* ad vindicandum Leonem Papam.

DCCCL. In die Natalis Domini ad *Missam* Carolus, imposta sibi à Leone Papa corona, Imperator & Augustus à Romanis appellatus est, Patris nomine demtò.

DCCCLII. *Aaron* rex *Perfarum* *Ierolymam* subiecit Carolo, & misit ei elephantum unum.

DCCCLIII. Carolus conventu habito in palatio *Saltz* Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide Catholica ab omni soluit tributo, excepto, quod omnes divi-



tes ac pauperes totius suæ culturæ ac nutrituræ, decimas Christo & Sacerdotibus eius fideliter reddere iussit.

DCCCIII. Leo Papa iterum venit in Franciam. Carolus Saxonum Transalbinos, & qui in *Wimodi* habitabant, transfudit in Franciam, eorumque pagos Abodritis dedit.

DCCCIV. Carolus filius Caroli *Bobemos cum Francis & Saxonibus* devastavit, regemque eorum, *Lechonem* nomine, occidens, victor ad patrem revertitur.

DCCCVI. Carolus regnum divisit tribus filiis *Pippino, Luthowico, Carolo.*

DCCCVII. Mortalitas maxima facta est in *Fulda.*

DCCCVIII. Carolus iunior *Linos & Schmelingos* expugnans, victor revertitur ad patrem.

DCCCIX. Depositio Sancti *Ludgeri* episcopi & confessoris.

DCCCX. Hoc anno Castellum *Haboki* Albiæ flumini impositum est, & *Pippinus* filius Caroli Imperatoris, Rex Italiæ VIII. Id. Jul. obiit, filio suo *Bernharde* regnum relinquens; & filia Caroli *Ruotrudis* obiit.

DCCCXI. Carolus filius Caroli Imperatoris, inter alios sui filios & natu major & patri acceptior, II. Non. Decemb. obiit.

DCCCXII. Eclipsis solis post meridiem fuit.

DCCCXIII. Pons apud *Mogontiam* mense maio repentino flagravat incendio. *Richolfus* archiepiscopus obiit, cui *Hastulfus* successit; & Imperator filium suum *Ludovicum*, imposita sibi corona, totius consortem sibi Imperii fecit.

DCCCXIII. Carolus Imperator Magnus & Saxonum Apostolus V. Calend. Febr. obiit, ætatis suæ anno LXXI, regni autem XLVII, Imperii vero XIII; cui filius suus *Ludovicus*, qui cognominatur *Pius*, successit in Regnum.

DCCCXV. Consilio episcoporum *Ludovicus* præcepit, ut omnes Monachi *cursum Sancti Benedicti* cantarent.

DCCCXVI. *Ludovicus* Imperator *Aquisgrani* magnam habuit Synodum, ibique constituit regulam *Canonicorum.*

DCCCXVII. Coniuratio *Bernhardi* fratruelis sui contra regem *Ludovicum.*

DCCCXVIII. *Ludovicus* Imperator *Bernhardum* regem, fratris sui *Pippini* filium, ex-carari iussit: deinde compunctus, publicam egit penitentiam. *Irmingard* quoque uxor sua V. Non. Octobr. obiit. Eclipsis solis VIII. Id. Julii facta est. *Fuldensis basilica* dedicatur.

DCCCXVIII. Imperator *Ludovicus* *Judith* filiam *Welpi* duxit in Uxorem.

DCCCXX. Isto anno aeris intemperies hominibus & iumentis pestem infudit, omnesque pene fructus consumpsit.

DCCCXXIII. *Ludovicus* Imperator fratrem suum *Drugonem* *Metensis* ecclesiæ episcopum supposituit. Inchoatio *Corbeiz* novæ monasterii.

DCCCXXIII. In territorio *Tullensi* puella quædam annorum XII. post eucharistiam, quam in Pascha perceperat, primo pane, deinde omni cibo potuque pleno triennio abstinuit. In Saxoniam in pago *Wirfedi* XXVI. villas fulgur consumpsit. In territorio *Augustodunensi* ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidit, cuius longitudo XV, latitudo VII, crassitudo duos pedes habuisse dicitur.

DCCCXXV. *Hastolfus* archiepiscopus obiit, cui *Ostgerus* successit.

DCCCXXVII. *Hildegimus* episcopus senior obiit. Cui *Thiatgrimus* successit.

DCCCXXIX. Pretiosa corpora Sancti *Valentis & Senesi* in *Augeam* insulam venerunt V. Id. Aprilis.

DCCCXXX. *Ludovicus* Imperator depositus est de folio à filiis suis *Lothario, Ludovico, Carolo.*

DCCCXXXII. Coniuratio *Ludovici* contra patrem suum.

DCCCXXXIII. Regnum Francorum ad *Lotharium* Imperatorem conversum est.

DCCCXXXIII. *Pippinus & Ludovicus* frater eius in Regnum eius restituerunt patrem suum.

DCCCXXXVIII. Item coniuratio apud *Franckenfort* *Ludovici*, & conversum est Regnum ad patrem eius.

DCCCXXXIX. Ventus ingens innumera subvertit ædificia, & multa damna effecta sunt in III. Novembris.

DCCCXL. *Ludovicus* Imperator insequendo filium venit *Herolfesfeld* monasterium in VI. id. Aprilis. Statim eodem anno in XII. Calend. Jul. obiit, cui *Ludovicus* filius eius successit. *Thiatgrimus* episcopus obiit, cui *Heimo* successit.

DCCCXLI. *Adelbertus* comes est occisus; & infelix bellum *Lotharii* contra fratres suos *Ludovicum & Carolum* factum est.

DCCCXLII. *Rabonus* *Fuldensis* cœnobii abbas expulsus est de monasterio & *Lotharius* de regno.

DCCCXLIII. Hoc anno facta est pax inter *Lotharium & Ludovicum & Carolum* fratres suos.



DCCCXLIII. *Lotharius* rex cum orientalibus Francis venit in *Sclaviam* & regem eorum *Gestimulum* occidit, ceterosque sibi subegit. Dedicatio ecclesie *novae Corbeis*.

DCCCXLV. Hoc anno monachi de *Herolfesfelde* cum *Otkario* episcopo reconciliati sunt. Hoc etiam anno *Ludovicus* rex ad idem monasterium venit II. Calend. Novembris, & privilegia & immunitates monachis donavit, & suo sigillo munivit.

DCCCXLVI. *Ludovicus* rex filius *Ludovici Pannoniam* subegit, & *Bohemos* domum rediens vastavit.

DCCCXLVII. *Otker* archiepiscopus obiit. Cui *Rabanus* abbas *Fuldensis* Monasterii successit.

DCCCXLVIII. *Ludovicus* rex apud *Moguntiam* habet concilium Synodale, ibique *Godeschalck* hæreticus convictus est & damnatus.

DCCCXLIX. Basilica Sancti *Wibberti* confessoris dedicata est.

DCCCLII. Inchoatio *Gandesheimensis* monasterii in antiquiori loco & adventus sanctorum confessorum *Anastasi* atque *Innocentii*.

DCCCLIII. *Haymo* episcopus obiit. Cui *Hildegimus iunior* successit.

DCCCLV. Ecclesia Sancti *Kiliani* in *Wirzburg* fulminibus exusta est. *Lotharius* rex tonsuram & monachicum habitum suscepit moriturus.

DCCCLVI. *Leo* Papa obiit, & *Rabonus* Archiepiscopus, cui *Carolus* successit.

DCCCLVII. *Carolus* Archiepiscopus apud *Maguntiam* magnam Synodum congregavit.

DCCCLVIII. *Ludovicus* filium suum *Ludovicum* cum magno exercitu misit ad *Abotridos*.

DCCCLVIII. *Ludovicus* & *Carolus* & *Lotharius* filius *Lotharii* fratris eorum cum iuramento invicem pacem firmaverunt.

DCCCLX. *Maginradus* heremita martirizatus est.

DCCCLXII. Fames magna & morbus in *Germania* & in aliis partibus *Europæ*.

DCCCLXIII. *Carolus* archiepiscopus obiit. Cui *Lutbertus* successit.

DCCCLXV. Subitaneum diluvium & vehemens grando fruges absumpsit *Anscarius* episcopus obiit.

DCCCLXVI. *Nicolaus* Papa obiit.

DCCCLXVII. Ventus ingens cum turbine multa ædificia stravit.

DCCCLXVIII. Fames valida & vehemens, tam *Germaniam*, quam ceteras *Europæ* provincias nimium afflixit.

DCCCLXIX. *Lutherii* (\*) rex à *Benevento* reversus, quo ob fratris sui discordiam *Ludovici* perrexit, *Romam* venit; ibique ab *Hadriano* Papa damnatus, domum rediens, cum suis penè omnibus periit.

DCCCLXXII. Ictu fulminis *Wormatia* comburitur. Æstatis fervor immanis & siccitas nimia totos pene perdidit fructus, plurimæque domus cum hominibus & animalibus, fulminibus incensæ, exustæ sunt. Dedicatio ecclesie *Sanctæ Mariæ* in *Hildesheim* per *Alfridum* Episcopum.

DCCCLXXIII. Fames magna invaluit in *Germania*.

DCCCCX. Franci ab *Ungaris* occisi & fugati sunt.

DCCCCXI. *Ludovicus* rex obiit, cui *Conradus* successit.

DCCCCXII. *Vngari* vastaverunt *Franciam* & *Thuringiam*. Et cometæ apparuerunt. *Hatto* Archiepiscopus obiit.

DCCCCXIII. *Otto* Ducum præcipuus, de quo velut fertilissimo quodam stemmate, imperatoria illa *Othonom* propago, totius *Europæ* terminis non modicum profutura, processit, onus limosæ molis abiecit. *Domina Oda*, mater scilicet ipsius, obiit anno CVII. vitæ suæ. *Otto* Rex & Imperator futurus natus est.

DCCCCVI. *Vngari* *Saxonia* vastata, & cunctis circumquaque direptis, venerunt usque ad *Fuldam*.

DCCCCXVII. *Ercanbarius*, *Berthardus*, & *Lutfridus* capite plectuntur.

DCCCCXVIII. *Einhardus* Episcopus occiditur.

DCCCCXIX. *Conradus* rex moriens; quem non propinquitatis suæ iura, sed invictæ fidei eximæque virtutis munia præ cæteris admodum commendaverant, sceptris ac regno *Henricum* feliciter potiturum, sibi succedere deliberavit, hisque rite per omnia dispositis, viam totius carnis ingreditur.

DCCCCXX. Post excessum *Conradi* Regis, præfatus *Saxonie* Ducis filius *Henricus*, communi senatus ac plebis assensu, electus & unctus in regem. Quantis terra marique victoriis deinde nituerit, quanta domi militiæque subiectos industria rexerit, dictis ac scriptis inexplicabile constat.

DCCCCXXIII. *Sigismundus* *Halverstadensis* episcopus obiit. Cui *Bernhardus* in Episcopatu successit, eiusque successor *Hildewardus* nascitur.

DCCCCXXIII. *Hermannus* *Colonie* Archiepiscopus obiit.

DCCCCXXIX.

(\*) *Lotharius* Rex *Lotharingæ*.



DCCCCXXIX. Otto rex *Editham* filiam regis Anglorum, matrimonio sibi iungendam, Saxoniz advexit.

DCCCCXXX. Facta est pugna valida adversum *Sclavos* iuxta *Albiam* prope *Lankini*, in qua Saxones gloriosissime vicerunt, prostratis *Sclavorum* CXX millibus: in captivitate vero DCC ductis; suorum autem duobus Comitibus *Luthariis*, cum quibusdam aliis amissis non multis, plurimis autem vulneratis.

DCCCCXXXIII. Vngarorum exercitus à Rege *Heinrico* devictus est.

DCCCCXXXIII. Rex *Heinricus* in *Ucronin* profectus est, subjiciens eos sibi.

DCCCCXXXV. Magna synodus fuit in *Erphesfurt*.

DCCCCXXXVII. *Heinricus* rex obiit VI Non. Julii, cuius filius *Otto* pacificus, Saxoniz decus, iure hæreditario paternis eligitur succedere regnis. *Mechild* inclita regina obeunte coniuge suo, præfato scilicet rege *Heinrico*, *cænobium* in *Monte Quedlingensi*, ut ipse prius decreverat, sancta devotione construere cœpit. Hinc regnum gentibus esse voluit, hoc totis viribus fovet. Ibi, quia bene nata raro ac difficillime degenerare noverat, non vilis personæ sed summæ ingenuitatis tirunculas, canonicæ religioni ritè deservituras collegit, easque usque ad extrema vitæ istius caducæ, materno more, spiritualium nec non carnalium copiis commodorum enutrire non desistit. *Everhardus* Dux Francorum & *Wigmandus* Saxonicus atque improbus *Tancmer* inani consensu conspiravere in regem: sed Dei gratia cito revelante regi, illa iniqua conspiratio sapienter oppressa est. Nam *Tancmer* miserabiliter occisus: alii autem truncati, suspensi sunt. *Everhardus* privatus honore degradatus est; *Wigman* verò supplicando pedibus regis reconciliatus est. In eadem tempestate venientes *Ungari*, vastaverunt *Thuringiam*, deinde etiam *Saxoniam*, ibique in paludibus cæterisque difficultatibus perierunt. Alia autem pars nefandi exercitus fugiendo, in terram suam reversi sunt. Eodem anno *Hildebertus* Archiepiscopus Moguntinus obiit, eique *Fridericus* successit.

DCCCCXXXVIII. *Eberhardus* comes *Heinricum*, filium *Heinrici* regis, captum proiecit in vincula.

DCCCCXXXIX. Hoc anno cum esset Rex in superioribus partibus *Rheni* fluminis, *Heinricus* frater regis, *Eberhardus* Dux Francorum atque *Gisilbractus* Comes *Luthariorum*, congregato nefando exercitu transeuntes *Rhenum*, maximam partem regni depopulati sunt. Cum autem reversi sunt gratulabundi, nunciatum est *Vdoni* amico regis: qui cum suis repente irruens in eos, *Eberhardum* in ipsa ripa fluminis hostiliter, uti dignus erat, occiderunt: *Gisilbrecht* autem in brevi fluminis voragine dimersus, & qui cum illo erant, simul interierunt. *Heinricus* autem frater regis, assumptis adiutoribus, supplicando regi, gratiam suam recepit.

DCCCCXL. Dedicatio *Gandeshemensis* Ecclesiæ.

DCCCCXLI. Otto rex de insidiis coniuratorum contra se liberatus, celebrans pascha in *Quedlingensi* civitate, quosdam, quorum nomina sunt *Erick*, *Reinward*, *Varin*, *Aseberic*, *Bacco*, *Herman* occidi, quosdam verò exilio relegari iussit.

DCCCCXLIII. Græcorum rex *Ottoni* xenia misit.

DCCCCXLVI. *Edith* regina contectalis Magni *Otonis* regis amarum mortis poculum degustavit, relictis post se duobus liberis *Ludolfo* & *Lutgarde*.

DCCCCXLVII. Privilegium à Papa *Agapito* *Quedlinburgensi* congregationi Sancti *Servatii* defertur. *Luidgarda* filia Regis nupsit *Conrado* Duci. *Ludolphus* filius Regis duxit uxorem filiam *Hermani* Ducis.

DCCCCXLVIII. Synodus ad *Eggilenheim* congregata est, cui *Maximus* legatus apostolicus præsedet.

DCCCCXLIX. *Conradus* dux *Lutgardam* filiam *Otonis* regis & *Edithæ* sibi in uxorem duxit. Eodem anno venerunt secundo nuncii Græcorum ad Regem *Otonem* cum muneribus. *Mathilda* filia nata *Luidolpho*.

DCCCCCL. Bellum magnum factum est inter *Bavaros* & *Ungaros*.

DCCCCCLI. Otto rex perrexit in *Italiam*, & cum eo eius filius *Ludolfus*, & *Conradus* audacissimus, gener ipsius regis, atque *Fridericus* archiepiscopus *Moguntiacensis* ecclesiæ, cæterorumque innumerabilis multitudo ex omni regno suo. Ibi ipse Rex invictissimus *Otto* *Adelheidam* reginam, vultu decoram, consilio providam, & universa morum honestate valde præclaram, & regali avorum atavorumque profapia ortam, coniuge Illustrissimo, *Lothario* scilicet Rege, iam tunc viduatam, connubiali sibi vinculo sociandam acquisivit; cuius etiam consilio regnum *Longobardiæ*, quod illi hæreditario iure cesserat, cum *Beringero* tyranno ditioni suæ subiugatur. Eodem anno *Heinricus* filius *Heinrici* Ducis natus est.

DCCCCCLIII. Satis acerba & nimis crudelis dissensio exorta est inter *Ludolfum* filium regis & patrum eius *Heinricum*, ipso rege partes fratris sui iuvante, mansitque per duos annos in incendiis, cædibus & depopulationibus, multique non solum de populo, sed etiam de optimatibus occubuerunt. Hoc etiam anno *Moguntia* obsessa est & castellum, quod *Rosodal* nominatur, factumque est magnum bellum in illo loco.

DCCCCCLIII. *Fridericus* Archiepiscopus *Moguntiacensis* ecclesiæ obiit, vir summæ abstinentiæ, in religione sancta & doctrina probatus; & *Wilhelmus* filius Regis successit in locum suum. Obiit *Lutgard* regia proles.

DCCCCCLV.



DCCCCLV. Otto Rex *Vngaros*, cum magno periculo sui suorumque, magna & cruenta cæde prostravit, in quo tamen bello *Conradus* Dux cum aliis multis occisus est, & *Henricus* Dux *Baiowariorum*, frater regis *Otonis* obiit. *Cono* Dux fortis mortem gustavit ab *Vngaris*. Sed & Rex *Otto* periculosissime contra *Abodritos* conflixit, quos filius materteræ eius *Egbertus* contra illum congregavit. *Mechild* gemma præ lucida è medio coronæ imperialis, decori suis & gaudio cunctis, nascendo enituit. *Oswinus* episcopus ordinatur.

DCCCCLVI. *Ludolfus* filius regis respexit in Italiam, eamque subegit imperio suo.

DCCCCLVII. *Ludolfus* filius *Otonis* regis in Italia mortuus est, & inde ad *Moguntiam* transportatus, & ad sanctum *Albanum* sepultus est.

DCCCCLVIII. Signum Crucis in vestimentis hominum apparuit, illis, qui derisui illud habebant, mortem inferens. Illis, qui pie & religiose illud venerabantur, nihil mali intulit.

DCCCCLIX. Venerunt legati *Rusciæ* [*Prusciæ*] gentis ad Regem *Otonem*, & deprecati sunt eum, ut aliquem suorum *Episcoporum* transmitteret, qui eis ostenderet viam veritatis; & professi sunt, se velle recedere à Paganismo, & accipere nomen & religionem Christianitatis. Et ille consensit deprecationi eorum, & transmisit *Adalbertum* episcopum fide catholicum. Illique per omnia mentiti sunt, sicut postea rei probavit eventus; quia nec ille prædictus episcopus evasit lethale periculum ab insidiis eorum.

DCCCCLXI. Venerunt nuncii *Johannis* Papæ vocantes illum *Romam*.

DCCCCLXXXIII. Filiolus Imperatoris, Tertius videlicet *Otto*, per unctiorem *Iohannis Ravennatis* Archiepiscopi *Aquisgrani* in die Natali Domini unctus est in Regem. Sed postea, comperta morte Imperatoris, *Henricus* quondam Dux de exilio regressus, cum sibi faventibus *Agrippinam* civitatem intravit. Simulans, se primo ob ius propinquitatis partibus Regis infantis fidelissime patrocinaturum, Regem tenuit: dein accrescentis avaritiæ stimulis agitatus; quorundam etiam persuasionem male illectus, regnum tyrannice invasit, atque in id elationis usque prorupit, ut & Rex dici, & in Regem benedici appeteret. Sed Rex dici à paucis obtinuit; in regem vero benedici, prohibente Deo, prohibente fidelium sibi non consentientium, sed regi electo & uncto jure faventium, decertatione, non meruit. Missis interim probatis, ad Regis aviam in *Longobardiam*, scilicet ad Imperatricem *Augustam Adelheidam*, legatis, hi qui partes Regis adiuturi erant, iurisiurandi vinculo in hoc firmiter perduratos sese constrinxerant; hanc perturbationem ordine intimantes, si quid de regno ac nepote curaret, suis ut cibo succurreret, obnixius rogavere. Illa vero, conciliato primitus sibi divino subsidio, accelerate admodum itinere, cum nuru sua Imperatrice *Theophanu*, matre Regis, nec non Illustri *Abbatissa Machtilde* filia sua, amita eiusdem regis infantis, comitantibus fratre suo Rege *Burgundiæ* *Conrado*, & Duce *Francorum* eius æquivoco, cum totius *Italia*, *Gallie*, *Sveviæ*, *Francia*, *Lotharingiæ* primis; occursum quoque *Saxonum*, *Thuringorum*, *Slavorum* cum universis optimatibus; qui unitis animorum nisibus, aut pro Rege fideliter morituri, aut, quod Dei gratia factum est, victuri, *Rocæ* (\*) convenere: Habitoque inibi consilio maximo, mirandum memorandumque posteris signum, stella videlicet, perlucida in ipso partium conflictu, medio cæli axe, media ultra morem die quasi divinum Regi capto præbitura juvamen, cunctis, qui aderant, cernentibus stupentibusque, radiavit. Qua visa perterrita, moxque cedente parte injusta, *Henricus* præfatus usurpato nomine & regno jure privatus, Regem avix, matri & amitæ præsentare cogitur; interuentuque Regis *Conradi* foci sui ac Principum, qualicumque gratia donatus, in patriam mæstus accessit. Accepto itaque pignore unico, prædictæ Imperiales Dominæ *Saxoniam* adierunt: ac primo sæpe iam dictam *Quedelingsis monticuli vertice* eminentem usque civitatem una pervenientes, dulcisona laudum melodia cleri scilicet ac populi Christoque inibi famulantium occursum gemino, gaudii affectu & pro optato spiritalis matris adventu, & pro triumphali regis eventu pie gratulantium, officiosissime susceptæ, quod reliquum erat vitæ, summo cum honore transgère.

DCCCCLXXXV. *Saxones* *Slaviam* invaserunt, quibus ad supplementum *Misacho* cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus devastaverunt. Interim memoratus ille *Henricus*, divino instinctu ad se reversus, quid egerit, in quantum se plus æquo & honesto extulerit, & ex quanto deciderit, anxie secum non semel pertractans, juxta evangelicam Veritatis vocem, sua se exaltatione humiliatum conspiciens, dedecoris conscientia pungitur, culpæ penitentia cruciatur. Veniente in *Franckanafurd* Rege infante Tertio *Othone*, ibidem & ipse adveniens, humiliavit se iuste, quo pœnam evaderet elationis injustæ, Regique puerulo, quem orbatum captivaverat, cujus regnum tyrannice invaserat, præsentibus dominabus Imperialibus, quas regni cura penes, aviâ, matre & amitâ Regis eiusdem infantis, humilis habitu, humilis & actu, totius in aspectu populi, ambabus in unum complicatis manibus militem se, & vera ulterius fide militaturum, tradere non erubuit; nil paciscendo, nisi vitam, nil orando, nisi gratiam. At Dominæ, quarum,

ut,

(\*) absque mora Chronogr. Saxo.



ut diximus, cura regnum regisque regebatur infantia, tanti viri summissa deditioe admodum gratulabundæ, (quia piorum moris est non solum mala pro bonis non reddere, sed etiam pro malis bona rependere,) digno eum honore susceptum, gratia fidei donatum, ductoria itidem dignitate sublimatum, deinde non tantum inter amicos, sed etiam inter amicissimos, uti ius propinquitatis exigebat, debito dilectionis venerantur affectu.

*Tbidericus & Ricdab* Marchiones præclari obierunt.

DCCCCLXXXVI. Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum perrexit in *Sclaviam*, ibique ad eum venit *Musacho* cum multitudine nimia, obrulitque ei unum camelum & alia xenia multa. Se ipsum etiam subdidit potestati illius. Qui simul progredientes devastaverunt totam terram illam incendiis & populationibus multis. Eodem anno monasterium in monte occidentali *Quedelingsi* in honore Sanctæ Dei genetricis Mariæ, ob monumentum unici & dilecti germani fratris sui, sub religione regulæ sancti Benedicti à *Mechilde* imperiali gemma & filia, studiosissime constructum est. *Ida* quoque regalis Domina, contæctalis *Ludolfi* filii Magni *Otonis* Imperatoris obiit.

DCCCCLXXXVII. Saxones *Sclaviam* iterum invaserunt, & ad ultimum ipsi *Sclavi* Regis ditioni subduntur, & castella juxta *Albiam* flumen denuo restaurata sunt, & in proxima hyeme aquæ nimium inundaverunt, & ventus ingens multa ædificia stravit.

DCCCCLXXXVIII. Æstatis fervor immanis, pene cunctos fructus consumpsit. Mox grandis mortalitas hominum subsecuta est.

DCCCCLXXXIX. Cometæ apparuerunt, quas pestilentia subsequuta est grandis hominum & jumentorum, & maxime bouum. *Osdag* quoque episcopus moritur, cui *Gerdagus* successit.

DCCCXC. Eclipsis solis facta est XII. Kalend. Novemb. hora quinta diei.

DCCCXCII. *Theophane* Imperatrix cum filio suo Imperatore, Tertio *Otone*, paschale festum imperiali gloria apud *Quedelingsensem* peregit civitatem: Ubi etiam Marchio *Tuscanorum* *Hugo* & Dux *Sclavonicus* *Misca* cum cæteris *Europæ* primis ibidem confluentibus affuere, ad obsequium imperatorii honoris, quæ quilibet pretiosissima possederat, pro xeniis deserendo; è quibus *Misca* alique quam plures honorifice donati, in patriam redierunt. *Hugo* vero cum eadem Imperatrice filioque suo, quocumque regni vel imperando vel regendo proficiscuntur, famulando prosequitur, usque dum *Nimagon* perventum est. Ibi ergo, dum quodam quasi compede totum sua ditione colligasset imperium, *Theophane* Imperatrix consummato in bonis vitæ suæ cursu, proh dolor! quod est miserabile dictu, immatura dissolvitur morte, XVII. Kal. Julii, indeque lugubri Imperatoris, filii scilicet sui cæterorumque suorum fidelium comitatu evecta, ad urbem defertur *Agrippinam*, inque ecclesia sancti *Pantaleonis* martyris, ut ipsa decreverat, stipante Episcoporum, Monachorum Virginumque cætu; astante etiam omni clero ac populo, ultimo flebiliter tumulatur honore. Eodem anno *Ercanbaldus*, *Biligrinus* Episcopi, *Triburicus* Episcopus *Saltzburgenfis* obierunt, & *Emmild* filia *Brunonis*. *Monogold* quoque non infimus *Sveviæ* matris filius *Saxonix* obiit, ac propter fidele servitium Imperatrici *Adelheidæ* per se exhibitum, ipsa comitante *Quedelingsensem* advehitur civitatem, ibique honorifice sepelitur.

DCCCXCIII. Gloriosissima & famosissima dedicatio sanctæ *Halverstadenfis* ecclesie facta, est XVII. Calend. Novemb. à venerabili suo provifore *Hildevarde* Episcopo, anno suæ ordinationis XXIII, quam secum in typo apostolicæ dignitatis, duodenario numero XII Episcopi consecraverunt, videlicet, *Willigisus* Archiepiscopus *Moguntinus*, *Gisilbarius* *Magdeburgenfis* Archiepiscopus, *Lievitzo* *Hamburgensis* Archiepiscopus, *Ludolphus* *Augustanus* Episcopus, *Hilboldus* *Wormatiensis* Episcopus, *Retharius* *Patarburnensis* Episcopus, *Erf* *Fardunensis* Episcopus, *Ursus* *Paduanus* Episcopus, *Hug* *Citizenfis* Episcopus, *Raginbratus* *Miklanburgenfis* Episcopus. Ad hæc *Agio* *Capuanus* Archiepiscopus, *Reinwardus* *Tridentinus* Episcopus, *Manso* *Cassinus* Abbas. *Tbiatmarus* Abbas *Corbeius*, *Luro* *Lunaburgenfis* Abbas, *Othadrus* abbas *Mersburgenfis*, *Lantbrecht* *Longhelus* Abbas, præfente Rege *Sereno* Tertio *Otone*, suaque avia *Adelheide* *Augusta* præclara, & filia sua gemma regia stirpis per lucida *Machtilda*, & nepte sua *Hadwin* veneranda *Abbatissa*: Duce quoque *Bernbarde* & *Leidulfo* *Comite* *Capuano*; & præfectis atque proceribus plurimis & innumera atque inæquiparabili multitudine cleri ac populi, in laudem Dei conclamantibus, dedicantes præfatam ecclesiam, orando iuverunt. XII. Calend. Novemb. totum cælum ter in nocte visum est rubrum fuisse. Hoc eodem anno *Gerdagus* *Hildeshemensis* Episcopus orationis causa *Romam* perrexit, & inde reversus in *Longobardia* obivit, & Presbyter suus *Svideboldus*, & Diaconus suus *Bodo*; ejus frater *Hoprecht* & Camerarius suus. Successit autem sibi *Berwardus* Episcopus.

DCCCXCIII. In nocte Natalis Sancti *Stephani* protomartyris, id est VII. Calend. Januarii, inauditum seculis miraculum vidimus, videlicet, circa primum gallicinium tantam lucem subito ex aquilone effulsisse, ut plurimi dicerent, diem oriri. Stetit autem unam plenam horam; postea rubente aliquantulum cælo, in solitum conversum est colorem.



*Dodo* episcopus obiit, cui *Soigerus* Vir Illustris, sanctæ Halverstadenfis ecclesiæ cœnobita, successit. *Egbertus* Trevirensis Archiepiscopus obiit.

DCCCCXCIII. *Ludolfus* Trevirensis ecclesiæ ordinatur Episcopus. *Erp* Verdenfis Episcopus obiit, cui *Bernhardus* successit. Hiems durissima III. Non. Novembr. exorta, usque III. Non. Maji stetit, rarissimis intermissa diebus. Deinde pestiferis & frigidis flantibus ventis, noctibus plurimis pro rore hibernum cecidit frigus. Ad ultimum Non. Iulii grande est factum gelu, tantaque siccitas fluminum & penuria facta est pluviarum, ut in plerisque stagnis & pisces morerentur, & in terris arbores plurimæ penitus areferent, & fruges perirent & linum. Subsequuta quoque est grandis pestilentia hominum, porcorum, boum & ovium: prata etiam in plerisque locis ita exaruerunt, veluti igne exusta fuissent. Sclavi insuper omnes, exceptis *Sorabis* à Saxonibus defecerunt. *Lippold* Baioarici limitis Marchio clarus, in civitate *Wirtzburg* in hospitio suo per fenestram cum sagitta improyise vulneratus VII. Non. Junii obiit. *Egbertus* Comes, prudentibusapientior, & fortibus audacior, Non. Aprilis è medio excessit. *Henricus Sifridus* & *Udo* fratres cum suis, navali pralio dimicantes contra Nordemannos, victi sunt & capti: ex quibus *Vdo* cum plurimis bello occisus occubuit; ceteri cum VII millibus talentorum redempti sunt. *Fames* etiam hoc anno magna facta est pluvibus in locis Saxoniz.

DCCCCXCV. Saxonibus peior annus priore exoritur. Nam tanta in eos, qui vocantur *Offerludi*, pestilentia exarsit, ut eorum non solum domus, sed etiam villæ plurimæ, mortuis habitatoribus, vacuæ remanerent. Fame insuper magna compressi, tam assiduis Sclavorum incursionibus fatigabantur, ut peccatis suis promerentibus, juste de eis illud propheticum dictum videatur: Mittam super eos tria iudicia pessima, pestem, gladium & famem. Rex quoque Tertius Otto cum magno exercitu *Apodritos*, & quasdam *Wloraborum* terras invadens, incendiis & depraedationibus plurimis vastavit, licet motum eorum nullo modo compresserit. Reversus denique ab illa expeditione in *Queddingensi* civitate a memorata & semper memoranda amita sua, *Meechilde* abbatissa, regalis præconio laudis digne suscipitur. Ibi *Adelheid* germana illius soror, æquivoca scilicet aviz suæ Imperatricis *Adelheide*, spretis pro Christi amore regibus prociis & eorum nunciis promissisque, non solum thesauris sed etiam ultra valentiam aureis montibus & urbibus, sub jugo regulari canonicè degendum, attante germano fratre suo Imperatore Tertio Ottone, totius in aspectu senatus ac plebis; Sanctorum *Dionysii* & *Servatii* obsequiis sese pro patria dicavit, eademque hora sacri velaminis arrabone, Christo sponso cœlesti, ab Antistite eiusdem ecclesiæ *Hildewardo*, ceteris etiam Archiepiscopis & Episcopis coram astantibus, consignata est. Hoc etiam anno Baioariz regionis Dux *Henricus secundus* immatura morte obivit. Hic enim mortuo Imperatore *Ottone secundo*, aliena potius quam propria voluntate, ad invadendum regnum eatenus illectus est, ut comprehenso Imperatoris filio, ipse Rex eligeretur; sed ante consecrationem pœnitentia abductus, regnum respuit, & regi humiliter subiectus, *Bavarico* honorifice donatus est regno. In quo pro componenda pace ita ultra priores effloruit, ut ab illius incolis regni *Henricus pacificus* & pater patriæ appellaretur. Quo mortuo filius suus *Henricus*, Rex futurus, Baioaricum Ducatum rege *Ottone Tertio* donante suscepit. *Gbevehardus* Constantiensis Ecclesiæ episcopus venerandus obiit, cui *Landhertus* successit. *Hildewardus* venerabilis Episcopus in *Sitterlingbeurg* civitate cœnobium construxit Virginum XII. Calend. Augusti.

In Halberstadenfis territorio Ecclesiæ, *Horidorpio* nomine, natus est infans, nihil corporis habens à posteribus deorsum, nec crura, nec membrum virile aut muliebre, sed tantummodo dimidius homo, habens posteriora quasi avis sine plumis, aurem dextram majorem sinistra: dentibus vero crocei coloris horribilis, sinistro brachio absque quatuor digitis, solo cum pollice integro; dextro penitus erat brachio privatus: qui ante baptismum attonitis videns oculis, post baptismum autem oculos nunquam aperiens, quarto suæ nativitatis die infandum moritur monstrum. Commune damnum in pestilentia porcorum & boum omnem Germaniam vexat. *Theodoricus* Comes Palatinus, & frater eius *Sigibertus*, præclari obierunt.

DCCCCXCVI. Lux clara sanctæ Augustensis Ecclesiæ *Ludolfus* Episcopus VIII. Calend. Augusti, huic mundo subtractus, cœlesti adnumeratur familiæ: cui *Gvehardus* inter egregios abbates præcipuus subordinatur Episcopus. Dehinc procurrente tempore, cum multos à sanctuario Domini divinum raperet iudicium, gemma etiam Sacerdotum & Episcopalis aureum decus dignitatis, Venerandæ Halverstadenfis ecclesiæ, *Hildewardus* Episcopus VII. Calend. Decembris ab huius vanitate seculi solutus, veræ caritatis, quæ Christus est, præsentatur obtutibus; illius humilitatis & dilectionis, super quam credi potest, pie imitator effectus. Cui successit *Arnolfus*, illustri valde profapia exortus, sed moribus nobilior & sincera largitate præclarus. Huius etiam anni vernali tempore præfatus rex *Otto*, compacta inter Saxones & Sclavos pace, Italiam perrexit, & dominicam resurrectionem *Papie* paschali more celebravit. Dehinc omni regno potenter potitus Italico, Romam veniens, beatæ memoriæ papam defunctum invenit. Cui nepotem suum *Brunonem*, virum valde præclarum, non solum cleri, sed & omnium Romanorum unanimi voto Pontificem electum, sub-

rogari



rogari pie consensit, quem Romani dempto Brunonis nomine *Gregorium* vocaverunt. Hic ergo sede inthronizatus apostolica, Dominum *Ottonem*, huc usque vocatum Regem, non solum Romano, sed & pene totius Europæ populo acclamante, XII. Calend. Iunii, in ipsa Ascensionis Christi festivitate Veneranda, indictione IX. Imperatorem consecravit Augustum. Post hæc Italico ritè disposito regno, *Franciam* revertitur, & in *Agrippina Colonia* summi Imperatoris condigno honore diem celebrat natalem. *Adalbertus* Episcopus de *Praga* civitate à Prucis glorioso martyrio IX. Calend. Maji coronatur. *Bernhardus* Wirtzburgensis Episcopus ecclesiæ, imperatoria legatione *Constantinopolim* missus, in *Achaia* provincia moritur. Cui *Henricus* clarissimi cancellarii *Hiriberti* frater, clarus & ipse, substituitur Episcopus.

DCCCCXCVII. Sclavi innata sibi perfidia tacti, pacis fregerunt pactum, terminosque Saxonicos latrociniis corroserunt furtivis; quos contra commotus Imperator *Zdotarianam*, quam vulgo *Heveldun* vocant, egregiam inter Sclavonicas terram magno invasit exercitu, vicit, prædavit, victorque in *Magdeburgh*, præcipuam Saxonix urbem, gloriosè subintravit. Interim, autem dum Imperator Augustus, tertius videlicet *Otto* *Heveldun* devastando percurrit, congregati *Velotabi*, *Bardangao* provinciam improvisi rapinis multis aggressi sunt & incendiis. Quod videntes *Westfali* quos præfatus Imperator in expeditionem pergens ad custodiendam reliquerat provinciam, celeriter *Lucicos* fortiterque excipiunt, ipsique cum pauci essent, innumeram paganorum multitudinem tanta cæde prosternunt, tantamque ab iis prædam diripiunt, ut nec cædis illius, nec prædæ numerus ullo modo humano possit explicari sermone. Hoc anno instauratione Sanctæ Metropolitanensis ecclesiæ *Quedelingsi* castello, iussu Imperialis filix *Machbeldis* Abbatissæ, omni studio peragitur; quam, cum ab avo aviaque, Regibus scilicet *Henrico* & *Machtelde* constructam, arctiorem, quam tantæ celsitudinis ius exigebat, propter confluentis populi frequentiam cerneret, innata ac concreta sibi benevolentia, ad augmentum eiusdem in honore Sancti *Servatii* Archiepiscopi & confessoris latioris & altioris structuræ ædificium apponere curavit, quod etiam totius conventu cleri ac populi ab *Arnolfo* Halberstadenfi episcopo nuper ordinato, cum aliis Archipræfulibus & Episcopis, quos modo nominatum, evolvere longum est, congruenter ad decorandam dei domum VI. Idus Martii dedicari fecit. Et non longo post tempore constructam in brevi *Walbicensi* ecclesiam, in ipso Augusti patris sui *Otonis* die aniversario, ab eodem *Arnolfo* episcopo, eodem etiam anno cum maximo cleri plebisq; tripudio, Nonis Maji honorifice dedicavit. Hoc etiam anno *Crescentius* quidam diabolica fraude deceptus, Romam, absente Papa *Gregorio*, invasit, *Iohannem*, quendam Calabritanum, quem Dominus Imperator *Otto* ob Græci Imperatoris filiam sibi matrimonio acquirendam, cum *Bernwardo* Episcopo *Constantinopolim* miserat, inde cum Græcorum revertentem legatis, se indigno excepit honore, illumque non tam Papam quam Apostatam constituens, legatos Imperatorios sub custodia Romæ retinuit. Hic ergo *Iohannes* natione Græcus, conditione servus, actu callidissimus, Imperatorem Augustum piæ memoriæ secundum *Ottonem*, sub paupere adiens habitu, ob interventum dilectæ suæ contectalis *Theophanes* Imperatricis Augustæ, regia primum est alitus stipe: dehinc procurrente tempore, vulpina, qua nimium callebat, versutia præfatum eatenus circumvenit Augustum, ut pro loco & tempore, satis clementi ab eo gratia habitus, pene inter primos, usque ad defunctionem eius clarus haberetur. Post dormitationem vero *Secundi* *Otonis* Augusti, regnante iam filio suo Tertio videlicet *Ottone*, quem ab ipso matris utero, divina subsecuta miseratione, Romano sublimavit imperio: præfatus *Iohannes*, ingenita sibi eo securius valuit versutia, quo Regis infantia & primatum illius permittebat, incuriâ. Ad hæc defuncto *Placentina* ecclesiæ Episcopo, vir bonæ indolis illi subeligitur: quo indignè eiecto, præfatus *Iohannes* non pastor sed lupus, eandem non regendam sed devastandam suscepit ecclesiam. Quam cum aliquot annis teneret, avaritiæ diabolico inebriatus veneno, in tantum se elevavit super se, ut ipsam Romæ beati Petri Apostoli sedem, ut prædictum est, *Antichristi membrum vere effectus*, fornicando potius calcaret, quam venerando insideret.

DCCCCXCVIII. His auditis Dominus Imperator secundam profectionem paravit in Italiam. Cui venerabilis Papa *Gregorius* Papiæ obviam veniens, dum ei pessima *Iohannis* & *Crescentii* gesta narrasset: divino commotus zelo quantocius una cum apostolico properat Romam. Quod audientes præfati Satanæ ministri: *Iohannes* quidem fugam iniit; *Crescentius* vero præsidio, quod veterem Romam & Leoninum coniungit castellum, se cum suis includit. Tunc quidam non tantum Imperatoris, quantum Christi amici insequentes, *Iohannem* comprehenderunt: & timentes, ne, si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei & nares pariter absciderunt oculosque illi penitus eruerunt. Hoc ita divinitus mulctato, Dominus Papa *Gregorius* sedem apostolicam honorificè recepit, eamque usque ad obitum sui libere insedit. Imperator igitur Augustus Romam adveniens, sanctissimam illic Christi resurrectionem celebravit, statimque post *Albas*, scalis & machinis arcem, quam *Crescentius* infederat, hætenus omnibus inexpugnabilem, fortiter expugnat, illumque captum decollari, & è summo arcis præcipitatum, in patibulo pedibus suspendi iussit. Mense Julio terra motus factus est horribilis per totam Saxoniam, duoque lapides igni ex tonitru ceciderunt, unus in ipsa civitate *Magdeburgensi*, alter ultra *Albiam* fluvium. Quorum inusitata,



d lapsio dirum omni populo exitium minando portendit: quod in sequentibus evidentissime apparere conspeximus; tunc scilicet, cum mundus iste insanabilis plagæ ictibus ter cerebroteus percussus, ipsa, ut ita dicam, vitalia amisit.

DCCCCXCIX. Nam insignissima Imperatoris prolis gemma *Mechtild*, Magni *Otonis* Augusti filia, quæ, ut sæpe memoravimus, sceptrigeris edita parentibus, virescentis rudimenta infantia, bonæ indolis, utpote ipsius coronæ filia, honestâ decenter nutricum sub cura descendit: quæ florida dehinc vacillantibus tempora iuventutis, corpore sensibusque plus cæteris id ætatis maturescens, nilque sibi commissi extra regiminis disciplinam errabundum relinquens, amabilis, affabilis, pia, cunctis largior quam sibi debebat; Undecimo ortus sui anno metropoli sibi hæreditariæ, licet tantis impar oneribus, Imperatorum tamen consulto patrum, nec non communi electione, Antistitum benedictione perpetua regendo præficiatur. Cum vero ad Pythagoricæ bivium perventum est literæ, sine mora, sine tædio angustiori semita, spei, quæ non confundit, fiducia arrepta, tota animi diligentia, se suaque à non esse ad verum conata est esse transferre. Hæc fratruale suo, *Largo* scilicet *Ottone* Romam proficiscente, imperatoria vice commissæ sibi regna non levitate fœminea gubernans, barbarorum etiam induratos vertices Regum, artificioso aviti paternique ritu ingenii, ita placabiles subiugabilesque reddiderat, ut huiusmodi pacis fundamenta, qua nunc sancta dei Ecclesia pro parte fruitur, post tantarum devastationem provinciarum, post effrenem Barbariæ motum, non gladio, non armis, non ullis bellicorum instrumentis apparatus, licet & ad hæc præcipienda satis esset idonea; [sed] continua vigiliarum, orationum inediaque instantia, soli Deo intenta, illius docente & confortante subsidio, prima posuerit, ponendo construxerit; eoque usque adstruere non destiterit, quo non laborando sed eius laboribus subintrando succedentes postmodum Reges, tanto facilius summa eiusdem pacis attingerent, quanto ipsa imis primitus construendis vigilantius insudasset. Novissimis namque temporibus suis, colloquio apud Parthenopolim habito, conventu Episcoporum cum Duce *Bernbardo*, Comitum ac totius senatus plebisque concursu; confluentibus quoque ibidem omni ex natione legatis, [undiquaque] sæcus vallata; qualis fuerit; quam inreprehensibilem se exhibuerit; quanta veneratione Præsulum personas præ ceteris cunctis tractaverit; quanta solertia optimates, iudices, aliosque, quorum id curæ relinquitur, pro consolidanda Republica, pro privatis etiam usibus confirmandis monuerit; quanta districtione reos terruerit, quantaque industria patriam conservaverit, adiuverit & auxerit, nec notis intellectuum nec etiam vocum cuiquam edicibile reor. Hisque ibi dispositissime ordinatis, oviculas, quibus singulari præerat cura, adventus sui expectatione suspensas, materna dilectione revisit, dignoque ab illis honore suscepta, pauculis posthæc superstes diebus, modica febre pulsata, inopinata cunctis sed sibimet ipsi longè ante provisâ morte, quippe & diem illum, & horam precibus assidue prævenire cupierat, VII. Id. Februarii, resoluta, quod ex hoc compactum, necessario solubile erat, corpusculo, ei qui est, quod est, quod unum est suum, quo eius participatione tam honorifice usâ est, gratulabunda reddidit, atque in medio basilicæ sancti Petri & sancti Stephani, iuxta tumulos Regum, avi & aviæ suæ *Henrici & Mechtildis*, eiulatu nimio plantuque suorum, diem futuræ resurrectionis feliciter expectatura, reconditur. Quis igitur, licet adamantino rigore præcordialiter induratus, huic miserando spectaculo ficcis poterat interesse oculis? cum orba *Sanctorum Dionysii & Servatii Præsulum* cætervula, nec non *Sanctæ Dei genitricis maxime ex monte occidentali*, ac *sancti Andrea ex Wablicensi canobio* vernulæ, quarum ipsa ab initio, ut prædiximus, fundatrix extiterat cum cæteris *Sanctæ Pusine in Winatbusen*, sanctoque *Wiberto* in plano, [f. in Polda] iuxta curtem regiam famulantibus, quarum licet primæva nequaquam constructrix fuerit, postquam hæreditati aviæ suæ *Mechtildis*, iure propinquitatis successit, materno eas amore ad id temporis omni solertia foverat, tunc dico, cum matrem, quam pridie valentem, viventem, ac populis imperantem noverant, inopine subtractam, suisque nusquam nisi in æterna visione obtutibus redituram, sarcophago includi ac tumulo recondi deserent; seque cum ea mori quam superesse malle, amenti quadam vociferatione clamarent. Quid plura? His tandem flebiliter peractis, præfatæ sanctimoniales fœminæ cum Episcopis, quos divina clementia illius exequiis improvisos adesse disposuerat, *Arnulfo & Bernbardo*, nec non Duce *Bernbardo* convenientes, fratrualem ipsius Dominæ *Mechtildis Adelbeidam*, quam sibi adoptaverat, quam unice dilexerat, quam pro filia delicate nutrierat, hoc solum inflicti vulneribus remedium restare cernentes, in dominam ac matrem sibi unanimiter eligunt: legatosque hæc primo Franciæ ad Imperatricem *Adelbeidam*, matrem illius *Mechtildis*; deinde ad Imperatorem Romanum *Otonem*, fratrualem videlicet ipsius Romæ deportaturos, omni celeritate transmittunt. Qui festinato pergentes ad Augustam in brevi veniunt, eamque, licet ante præfaga mente aliquid sibi intolerabile eventurum præscierit, nuncio illo infelici visceretenus sauciant; assumptisque aliis ibi secum Imperatricis eiusdem legatis, *Romam* perveniunt, ibique Imperatorem Augustum, recenti nepotis sui Papæ *Brunonis*, qui Romana lingua *Gregorius* vocatur, obitu admodum mœstum reperiunt; ac priori posteriorem multo graviorem adjiciendo dolorem, ob excessum suæ illustrissimæ amitæ, ex mœsto mœstissimum reddunt. Non solum itaque Imperator

augu-



augustus eiusque sequaces, Mechtildis præclaræ corporalem interitum plangent, sed, quocunque per vicos, per plateas, per compita, per avia, necis illius fama sonuit, pectora tundendo ipsum aëra lachrimosis vocis pulsant. Resumptis ergo demum, post tantam perturbationem animi viribus, Imperator præfatus, pro obsequiis Venerandæ suæ amitæ exhibitis, & pro electione sororis, sanctæ congregationi grates remandat innumeras, eamque honori & oneri matris spiritualis, non ut potuit, imperando, sed, ut pium decuit, postulando, succedere deliberavit. Quod & divina ordinante clementia, sine mora peragitur. In solenni namque *Michaelis* Archangeli festo, electione iterata, ab *Arnulfo* eiusdem ecclesiæ Episcopo, astantibus aliis Episcopis & Domina regali *Sophia*, sorore sua maiore, & nepte sua, Illustri Abbatissa *Hilwiga*, cunctisque regni primatibus utriusque sexus, coram altari sancti Petri Apostoli Principis, & Sancti Stephani Protomartyris, honore congruo benedicitur, throno dominæ matris sublimatur, regulæ commissione, in qua se sibi que subiectarum vitam, quasi in speculo, spectare, omnique, solertia regere discat, non modicum oneratur; quidque spatii miseratio deinde omnipotentis concesserit, dignitate eximia & gaudio, non tamen sine cura pervigili transactura. Modici igitur intervalli spatio, *Adelheida*, præfatæ Mechtildis genitrix, inclita Romanorum Imperatrix Augusta, quæ statum Imperii terra marique sibi subacti, una cum suo consorte, Augusto scilicet *Magno & Pacifico Ottone* non minus meritis moribusque insignierat egregiis, quam ille viribus & triumphis consolidasset eximiis: post obitum itaque eius & ipsa per totum seculo moriens, quasi non sibi nata, sed in opum usibus tantum divinitus esset provisâ, quicquid habere potuit, regni videlicet censum, toto orbe, tributario iure, vel etiam donario quæsitum; inter cætera virtutum insignia, manibus pauperum in cœlestes deportandum thesauros, hilari mente & facie commendare non destitit. Vidimus namque eam creberrime, sed secretissime, more rusticarum, ad id desiderabile sui opus succinctam, ne vel ipsa vestium prolixitas ullam sibi ingerere posset morulam, ambabus pro dextra manibus usam, tam diu pio huic institisse labori, quousque vacillante incessu, non largitate sed corpore deficiens, necessariò quietura vel modicum sese reclinaverit; id tamen in voto habens, ne vel sedendo, vel stando, vel quibuslibet occupationibus detenta, unquam à familiarissimo sibi misericordiarum opere cessaret. Hæc igitur postpositis, quæ esse videntur, non quod sint, quia transeunt, sed quod nobis sensuum qualitate degenibus esse videantur, ut dixi; nobili illa hominis prærogativa ad ea, quæ vere sunt, quia nec ortum sui respiciunt, nec finem; totam sese erigens visu, ac meliori oculo superna semper intuens, tandem emeritæ admodum ætatis ad eum, quem medullete nus sitiverat, XVII. Cal. Ian. laborum suorum centuplicatam receptura mercedem, Angelico stipata cœtu, gloriosa migravit, atque in *Basilica Salsensî*, quam ipsa in honore Sancti Petri Principis Apostolorum pio labore construxerat, honorifice tumulatur.

M. Cujus obitu post modicum comperto, Imperator Augustus, ultra quam credi potest, mœroris nimietate afficitur, sanctam Dei Ecclesiam, quæ continuato trium lapsu columnarum, quibus mira firmitate subnixâ hæctenus inconcussa steterat, Domini scilicet Apostolici, aviæque suæ, præfatæ Imperatricis Augustæ, nec non amitæ suæ Imperialis Abbatissæ *Mechtildis* discessibus vacillare; sibi que jam soli inniti conspiciens, curarum pondere gravatur. His tum, quæ ibidem vel in ecclesiasticis vel etiam in publicis rebus agenda erant, rite dispositis, patriam desolatam, quasi consolaturus, cito cursu adeundam deliberat: quod & acceleratissime facit, non paucis ex Romano senatu una secum pergentibus. Transcens vero Alpium difficultate, ut primo hisce partibus pedem inferre potuit, tota ei *Gallia, Francia, Sævia*, equestri & pedestri agmine, turmatim obviam ruit. Domina etiam Imperiales, germanæ suæ sorores, *Sophia & Adelheida*, cum Saxoniarum & Thuringiarum utriusque sexus primis occurrendo, velut unicè dilectum ac merito diligendum, ipso, ut ita dicam, corridente mundo, unanimi gratulatione suscipiunt, ac cum eo pariter, quamdiu destinati itineris acceleratio patiebatur, debita caritate morantur. Ille vero Evangelici non immemor, præcepti, quo dicitur: Primum quærite regnum Dei, juxta morem parentum suorum Imperatorum, omnia sua divina regi ac meliorari exoptans clementia; humili devotione in *Sclaviam Sanctum Adalbertum*, nuper pro Christo laureatum adiit, ejusque interventum obnixius petit. Ibi summo conanime à duce *Sclavonico Bolizlavone* susceptus, xenii omnigeni census, ubique terrarum studiosissime quæsitum, obsequialiter donatur; licet nihil tunc temporis ex his acceperit: Quippe qui non rapiendi nec sumendi, sed dandi & orandi causa eo loci adventasset. In patriam revertitur, ac *Quedlingensi civitate* sanctum Pascha celebraturus, in ipso monte, ubi sanctimonialis feminae ritu canonico regulariter Christo deserviunt, per amorem dilectæ suæ sororis *Adelheida* abbatissæ, cœnam Domini, parasceven quoque, & sabbatum sanctum; nec non dominicam noctem resurrectionis, (si tamen illa jure nox dici vel appellari queat, quam triumphali luce Redemptoris omnium per totum mundum, miro atque ineffabili modo, splendere constat,) debitæ venerationis obsequiis festive peregit. Unde in ipsis horis matutinalibus ad curtem suam, totius senatus ac plebis expectationi satisfacturus, redit; illamque septimanam regalibus impendens officiis, regendo, indulgendo, largiendo, ac remunerando transegit: ac in octava Paschæ inde profectus, sororem suam



suam *Moguntia*, *Colonia*, *Aquisgrani*, quam etiam cunctis tunc post Romam urbibus præferre moliebatur, una secum summa veneratione, fraternaue caritate comitante, remunerato *Balislavone*, perducens; aliquantulum temporis, quæ cæpto itineri congruere videbantur, ibi parando, quieuit. Sed dum nec cursum longius protrahere deliberatum, nec sororem, quam intime diligebat, præfatam *Adelheidam* præfentialiter amittere posset: promisso tandem post se Romam veniendi firmiter inter se compacto, paululum lenito mœrore; ille, ut decreverat, in *Italiam* ultima, proh dolor! profectio acceleraturus; illa monasterium, cui specialiter præerat, revisura: utrique casta spe ulterius sese in hac luce videndi, discedunt. At Imperator Augustus, emensis iterato Alpibus, peragrata Italia, *Papia* aliquamdiu remoratur.

MI. Inde *Romam* proficiscens, Sacrosanctum Dominica Resurrectionis festum, debita ibi veneratione celebrare instituit. Interim callidus nequitiae autor, totiusque doli repletor, mille ut est nocendi artibus instructus, reinduto, quem, primos decepturus homines, quondam sibi aptaverat, colubrino amictu, inter Romanorum præcordia serpit, venena inflat linguis trifulcis; ut manus improbas sui causa ipso Cæsari inferre moliantur, persuadet. Sed, dum opposito illi divinæ pietatis clypeo à læsione Imperatoris sese repellere cœlitus conspicerent; quoscunque parti iustæ faventes reperire poterant, cruenta cæde multabant: nec ab illa seditione nefanda aliquo modo sedari valebant, donec invito furioso tumultu, Imperator, collectis suorum viribus, ab urbe prius præ cæteris amata; sed ulterius præ cunctis detestanda decederet. Mœstus, ut ferunt, in cujusdam castelli muninima, transvolat, [ubi] pro ulciscendæ assiduo tractatu injuriæ instantem penitus consummavit, annum.

MII. Verum in ipso posterioris introitu: toto pene lugendus orbi, & ultionum crimine destinatarum, & ærumnis vitæ hujus caducæ IX. Kalend. Februarii exemptus, in gremio *Abrahæ*, Patriarchæ magni, tempore futuræ resurrectionis in melius coronandus ac feliciter regnaturus, angelicis transvectus manibus collocatur. Cujus infortunatum eventum, ne procacitati hostium citius intimaretur, hi qui aderant, occultando tegebant; quousque convocatis, qui per castella dispersi vagabantur, sociis, domini sui corpus efferentes, improvisi prorumpunt, pluribus tamen ibi ob penuriam equorum, heu sine spe vivendi relictis. Cum vero res tanta diutius latere nequiret, hostes Romani his mature compertis, indubito ausu execranda omni ævo commovent bella. Armis instructi velut pro vita patriæ certaturi, defuncti corpus Imperatoris, (qui dum supera vesceretur aura, ignorata etiamnum doli immanitate latentis, cunctis eos populis quasi privilegio quodam specialis præposuerat amoris) impudenter distrahere, mirisque injuriæ modis, sine mora mortuum, excruciare, cui vivo nocere nequiverant, tetra belligerando invasione pertentant: quos divina pietas totiens repelli, totiens nece crudeli multari permisit, adeo, ut vix pauci latibulis fugæ sese dedentes, inglorii discederent. Nostri vero felici ubique victoria usi, depositum pretiosi ponderis thesaurum fideli devotione trans Alpium nivosa cacumina jam tandem securi deferunt. Quo comperto, *Henricus* Dux, ad quem summa imperii pertinebat, maxima comitante caterva, funeri miserando omnibusque digne plangendo, admodum tristis occurrit, & ad *Aquisgrani*, quo vivens sitiverat, gemitibus multis mortuum corpus tandem perducit. Nec mora; itur in templum: magno, ut ita dicam, hujusmodi honore, mixto scilicet intolerabili dolore, terræ commendatur sinui, plurimorum solatium. Sed & omnium, ut credimus, qui aderant, unanimi oratione spiritus cæli recipitur palatio. Interea, moti multi, diversa sentientes, dum quique sibi pro sua parte jus imperii raptum ire moliretur: *Egbarthus* Marchio in *Palitibi* à *Syfrido* & *Udone* pessime occisus est, plurimique suorum, cum illo II. Cal. Maii. Dehinc III. Cal. Julii præfatus *Henricus* nepos regalis, à Francis in Regnum eligitur, insciusque Saxonibus *Moguntia* à *Villichiso* unctus coronatur. Fama volat super his, dicens: pariter in *Mersburgiam* illum quam citissime venturum; quod & factum est. Illic *Bernhardus* Dux & Saxonum primates, cum decore suorum convenientes, benigne ab eo suscepti sunt, moxque Dominum sibi illum ac Regem elegerunt. Sed & *Balislavonem*, *Poloniæ* Ducem occurrisse, & Regis gratiam sibi supplicasse, fœdere pacis promisso, reperiunt: quæ via firma non fuit, prout postmodum patuit. Inde digressus, per urbes & loca provinciæ aliquamdiu commoratus, quæ agenda erant, prout tempus & res poscebant, prudenter disponebat. Domina quoque Imperiales filia, *Sophia* & *Adelheida*, honorifice tanti nominis novitatem excipientes, quanta potuerunt, caritate occurrerunt. Congaudent Regi nepoti, quia non licuit fratri. Quas secum digno honore ducens, *Cunigunda* contestali sua una secum comitante, *Patherbrunensem* venit civitatem; quo periculosa inter Bajoarios & Saxonum orta est seditio, multorum morte subsequuta. In natali autem Sancti martyris Laurentii imponitur corona benedictionis *Cunigundæ* reginæ. Datur etiam *Sophia*, Imperatoris filia, abbatiæ benedictio *Gandeshemensis*. Quibus peractis, Rege Rhenum transmeante, quisque in sua rediit. *Hermanus* Dux cum Svevis Regi restitit, & Francorum pars quædam refragari cœpit, multa inutilia perpetrantes; sancta loca exurentes, aliaque devastantes: quos tamen dominus citissime humiliavit.

MIII.



MIII. Henricus Rex *Slavos Milcionos* hyemali tempore invasit, & cruenta cæde devastans, sibi subiugavit. *Thonginarius* cum aliis interfectus est. Quadragesimali autem tempore *Parthenopolim* venit, diem Palmarum ibidem acturus. Inde quam celerime *Quidelingenfem* metropolim, more avorum atavorumque priorum Regum, pergens, cum optimatibus suis & populi confluentia paschalia festa peregit. Paucis interpositis diebus, *Adelheide* Dominæ ac matris ejusdem precibus exoratus, cum Regina iterum veniens, Sancti Servatii gaudet interesse festis: postea *Halverstadenfem* civitate sanctam pentecosten celebraturus. *Hermanus* Dux ad extrema pervenit, & discordia à Svevis quievit.

MIIII. Rex *Henricus* de Francia in Italiam veniens, secundum pascha ibi acturus. Sed adempto gaudio, rebellium multa millia jussit interimere gladio, omnibus simul ædificiis *Papæ* exustis, quæ veterum instruxerat industria illustris. Fulgura & tonitrua eodem anno, simul cum nimio & terribili turbine venerunt, perteritis ubique terrarum populis. Et Rex de Italia regressus, parvo post tempore Bohemiam, quam *Bolizlavus Polinensis* injuste possederat, pugnaturus intravit. Sed tamen, Deo adjuvante, tota illa gens sese cura pace, suæque omnia Regi dedere; & ille tyrannus *Bolizlavus* contumeliose evasit: Rex vero, Deo gratias, victor cum suis exivit. *Herolfeldense* monasterium à Rege, antiquo patrum jure destitutum, magnum patitur damnum: spoliatur bonis, orbatur filiis suis; & quos congregarat atque educaverat, regnante Carolo Pippini filio, CLXX ac novenis annorum circulis, peccatis exigentibus, perdidit istis temporibus.

Interim ipse Rex ira permanente contra Bolizlavonem, reparato agmine Poloniæ accelerans, fugientem insequitur, suam injuriam quasi defensurus, sed pro dolor! multos perditurus. *Bernhard Etisi*, *Thiedbern* & *Bernhard* cum aliis occisi. Rex vero quamvis dolens, assumpta non bona pace, cum lachrimabili revertitur exercitu, portans secum corpora mortuorum. Obiit *Kiesus* [Piscus.]

MVI. *Baldwinus* in Gallia elevatur contra Regem cum *Landberto* in *Valentia*, civitate non sua: quod Rex ægre ferens, eò in expeditionem properat plurimo sudore suorum, longo tempore frustra ibi commoratus, sicque ficta pace revertens.

MVII. Ad civitatem *Ratispona* pervenit, dominicam resurrectionem ibidem concelebrans: simul etiam recenti suorum cæde cordetenus iectus, mittit Legatos ad Bolizlavonem. Bellum mandat contra se parare: sed fama iterum de *Balduino* non bona percubuit, quæ, id ne fieri posset, prohibuit. Quo celeriter reversus, & sanctæ ecclesiæ precibus adiutus, quem reliquerat hostem, gaudet recepisse imbellem, adversariis in pace sibi reconciliatis. *Bolizlavus* interim Dux, incursum Saxonum ex legatione Regis concitus, audaci bello elatus, prope *Parthenopolim* pergens, omnem Slavoniæ eo loci provinciam vastat; incolas aut neci tradidit, aut captivos colligari præcepit, donec ripam *Albia* fluminis attingit: ubi superba quædam iactans verba, obstante summi Regis milite Sancto *Mauricio*, suæ non compos voluntatis, revertitur in propria; ducens secum in vinculis fortes viros Saxonum, *Ludolfum*, *Talidan* & *Tadi*. Rex talia audiens animo dolet: hortatur suos, ne id inultum ferrent. Sed eiusmodi affectum, nescio quo obstaculo, nullus etiamnum sequitur effectus. Calend. Junii obiit *Hermanus* Comes, frater *Arnulfi* Episcopi.

MVIII. *Berthlalis* [*Berthradis*] humilis ancilla ancillarum sancti Servatii, induxit animum adire limina Apostolorum Petri & Pauli, pro se & Dominæ *Mechtilde* animæ absolutione, suorumque salute profecta. Itaque VIII. Idus Januarii, postposita omni adversitate, per abrupta montium, per convalles terrarum, non modicè laborabat in transmeatione fluminum, dummodo, quod amabat, videre contingerit. Tandem Romam pervenit gaudens. Ergo accessit, amplectitur Sancti Petri sepulchrum, periculum deosculatur, & quorum causa advenerat, flebiliter ibi peroratis, nec non aliorum Sanctorum patrociniis salutatis; Deo gratias referens, incolumis cum suis revisit patriam. Stella, paschalis hebdomadæ feria secunda, media die visa est. VI. Id. April. obiit *Ludolfus* Trevirensis Archiepiscopus, cui successit *Meginots*. Obiit *Hotgerus* Leodicensis Episcopus, cui successit *Baldricus*, moribus præclarus. Eodem anno *Adalpero* clericus, Regiæ frater Regi adversarius, abominationes multas concitavit contra omne ius & fas, *Treverim* cum suis sibi mancipavit sicque discessit. Comperit cum id Regi foret, ilico suas copias colligens, advenit; *Lutharios* sibi resistentes palatio obsedit, XVI. hebdomadas ibi habens. Illi tandem fame coacti, falso dextras dedere, Regem & suos remeare fecere, in sua perfidia nihilominus permanentes. Obiit *Hildericus* Havelbergensis Episcopus, cui successit *Ericus*.

MIX. Subita, ex nostris operibus, insolita aquarum refusio facta est III. Id. Januarii, feria secunda, Luna X. Multis damnum inferens, VII. diebus in sua rabie perstitit. Obiit *Rocharius* Patherbrunensis Episcopus, cui successit *Meginverck*. Sanctus *Bruno*, qui cognominatur *Bonifacius*, Archiepiscopus & monachus, XI. suæ conversionis anno in confinio *Ruscia* & *Lithua*, à paganis capite plexus, cum suis XVIII. VII. Id. Martii petiit cælos. Obiit *Wigbertus* Merseburgensis Episcopus, cui successit *Thiatarus*. Sed & Dominica die Palmarum guttæ sanguinis in quibusdam locis vestimentis hominum instillabant. Sol nebula horribili ex colore stupendo mutatus, mirantibus intuentium oculis velut sanguineus ac minor se visus, terrorem



terrorem incussit III Calend. Maji, Feria VI, luna I; duobus diebus tales minas ostendens, tertio die vix proprio lumine vestitur. Pestilentia & mortalitas graviter secuta sunt. Rex iterum magno dolore simul & ira commotus, in Franciam revertitur, & in pluribus locis multa damna perpetrata sunt: ibique peracta æstate rediit in Germaniam sine pace. *Dedi* Comes iter agens à *Werinzove* & *Frideric*o patruale eius de improvise cum dolo interfectus est. Incendia plurima facta sunt per plurima loca, ita ut & homines in quodam vico exusti. Interfecit *Feicherum*, Comes. *Machtildis*, regis fororis filia, obdormivit in Domino. *Moguntia* quoque *basilica nova*, cum omnibus ædificiis coherentibus, miserabiliter consumitur igne, sola veteri ecclesia remanente III. Cal. Septembris, Feria secunda, Luna VI. Tonitrua & coruscationes hiemali tempore sæpe fiebant.

MX. *Ausfridus* Episcopus meritis præclarus, primum Imperatori terreno armatam militiam fideliter administrando, deinde creatori humiliter obediendo, divinis se mancipavit, præceptis. Ideo virtutibus enituit insignis; calcatis terrenis, intra Angelicos jam lætus choros æternis fruitur bonis. Eodem anno Rex in expeditionem suas contrahens copias, *Poloniam Sclavonia* quæsiturus, sed quo voluntas ducebat, minimè perventurus, cum paucis media revertitur via; gravi ingruente ægritudine: cæteris, ut erant bello parati, plurima devastantibus loca, multamque prædam secum reportantibus. *Basilica* in *Uogerosforp* fulmine terribiliter interiit. Sed & cometæ visi sunt.

MXI. *Bernhardus* Dux à Rege secundus, multigenis sapientiæ, scientiæ pietatisque donis fecundus, invehitur cælos, Sanctæ Ecclesiæ multa tempora lugendus. Quem lamentatione dignum, octava X. die moriens secutus est *Ludgerus* Comes, frater suus. Pestilentia & mortalitas, inaudita tempestate ubique gentium monasteria, castella & oppida devastantes, defevunt. Hiems insolita pruniarum asporitate importune longa, ita ut solis calore insolubilem multum temporis glaciem retineret, ac multa corpora hominum languida redderet. Obiit *Willigisus* Archiepiscopus, cuius loco subrogatur *Erkenboldus* Fuldenfis Abbas, merito gaudens, patris nomine retento, & pastoralis culminis honore suscepto. Obiit *Estico* presbiter inclusus. Eodem anno III Calend. Augusti, Feria secunda, luna XXVI. cecidit, glacialis grando ingens & horrenda. *Thietdinus* Abbachus & Monachus, *Deddile* Romæ inclusa, cæli confendunt secreta. Hoc etiam anno sæva mors de obitu *Hildegardis Duclitricis* miserabile lamentum intulit, dum reliquit, quod doluit. Abstulit & de regali stemmate gemmam *Machtildam* Abbatissam, *Ludolfi* filiam. *Suthgerus* [Suithgerus] Episcopus migravit ad Christum, cuius loco subrogatur *Thietricus*. Ventus ingens plurima ædificia subito turbine subvertit, & multa alia damna commisit. Ipso anno Rex *Triburiam* venit, & nova cade suorum merito gemit: inter quos, quasi pacis gratia irruentibus adversariis Regis, capto *Theodrico Duce patruale suo*, alii gladio interiire, alii vero vix poterant evadere.

MXII. Obiit *Ervinus* Camerinus Episcopus, cuius loco ordinatur *Gerhardus*. Obiit, *Hermannus* puer & Dux, Regis consobrinus. Eodem anno quadragesimali tempore monacho cuidam, in extasi raptus, ostensa est *visio mirabilis*, quæ quantum terribilis impiis, tantum prædicatur laudabilis piis. In *Bavanbergensi* castello Franciæ dedicatio ecclesiæ facta est, X anno regni *Henrici* Regis, II Non. Maji, XXXVI. Episcopis in id operis destinatis. Intererant etiam regio gaudio Dominæ sorores Abbatissæ, *Sophia* & *Adelheida*, quod erat insigne decus Imperatoriæ aulae. Aderat & incredibilis frequentia cleri ac populi, inter quos multis reis indulgentiæ à Rege donata est; aliis venia repromissa. Obiit *Tagino* Archiepiscopus *Parthenopolensis*, meritis præclarus, cui successit *Walbardus*, sapientiæ scientiæque luce fulgidus, pietate nulli secundus. Obiit *Fungus* [Vungor] Episcopus. Obiit *Thietmer* Presbyter & monachus. In quadam villa Saxonice [Saxonica] *Svevia*, *Coeffede* nomine, nati sunt gemini Fratres cum dentibus, os habentes quasi aves. Alter vero dextrum brachium dimidium, ut ala avis. Tertia nativitatibus die dicuntur inter se risisse: quos civili contigit consensu mori, quia eos diu vivere erat omnibus timor. Eodem anno in Francia, non longe verò à *Colonia*, viro cuidam dira miseræ mortis inducitur ultio, quod muribus invisibiliter, incredibili modo corrosus, multis suorum curationibus frustratus, ad extrema usque pervenit. Magna etiam à piratis devastationis clades facta est in partibus Aquilonis in provincia una, [Unna] ita, ut multis interfectis, aliis miserabiliter captis; exustis insuper plurimorum ædificiis cum pertinentibus bonis, pauci vix veluti nudi evaderent. Terra motus per loca fiebant. Hoc etiam anno commotio aëris cum tonitru & fulgure, & inundantia pluviarum tanta facta est III. Id. Augusti, ut biduo perseverans, per plurima damna perageret, domos multas cum suis utensilibus, nec non acervos frugum pessundaret; homines quoque periclitarentur. *Walbardus* Archiepiscopus extrema fortitur; cum Christo feliciter victurus. Vixit post obitum *Taginonis* Antistitis ter terno hebdomadarum numero, & nocte una. Sedit autem in episcopatu septem septimanas, noctesque binas, trinum & unum Deum ore prædicando, unctus Spiritu Sancto, pacem in invicem & in omnes Ecclesias Dei, in dilectione Dei & proximi præparando. Post eius mortem *Bolizlavus*, multis militibus suorum contractis, *Dalmantia* terminos occupavit. Urbem *Coloci*, [forte *Coldizi*] noviter instauratum, dolose expugnat, & utrinque magna strage peracta, cum captivis nostris domi reversus est. *Conradus* Dux regis stirpis



pis humanum debitum exolvit. *Henricus* Rex ad festa *St. Martini Confluentia* veniens, magnam synodum habuit *Thiedoricum* Metensem Episcopum ceterosque sibi rebelles causâ damnandi, si nolent converti; & alia perplura ibi acturus. Quod Regis decretum illi aliquantulum timentes, legatos de pace miserunt, veniam precando. Quorum voluntati Rex, recenti vulnere faucius, non satisfecit, sed consilio tamen fidelium suorum *Moguntia* se videndi licentiam dedit. Quo quidam ex illis venire neglexerunt: alii Regis imperio, ut decuit, paruerunt. Inde non integræ pacis gaudia reportantes, sed firmandæ adhuc suspensio expectantes, reversi sunt in sua. *Expulsio Judæorum* facta est à Rege in *Moguntia*. Sed & quorundam hæreticorum refutata est insania.

MXIII. Dux lucernæ ardentes, mundo subtractæ, reconduntur cœlo: *Lievitzo* Hammaburgensis Archiepiscopus, & *Wonleph* Presbyter & monachus solitarius. Episcopus autem vi febrium correptus, cum laboris sui præmium imminente jam morte à Deo speraret, ut erat, nimix caritatis, providebat suis portum salutis. Erit ei quidam vicarius inter clericos specialius familiaris, quia nobiliter fidelis, *Odda*, quem divinæ humanæque legis scientia adprime eruditum, episcopatu dignissimum prædicans, ipse primus sancta oratione in id operis elegit: deinde cleri ac populi unanimiter acclamantis eadem vota persensit, ac sic lætus obdormivit in Christo. Sed Regis animus immitis, & habendi misera fitis, renuit supplicanti præces, contemnendo flentium voces. Succedit huic honori *Vnuvanus* Archiepiscopus: iste vero Dei gratia servatur melioribus vel locis vel temporibus. *Henricus* Rex à *Bolizlavone*, multo observationibus exoratus, *Partbenopolim* venit, ubi isdem *Bolizlavo* filium suum cum variis donis in occursum Regis honorificè misit; & utrimque pace compacta, filium lætus recepit, iussus Regem quantocius ipse videre. Inde Rex *Werla* divertens, aliquandiu ibi commoratus, ut moris est, multa disposuit. Statuit & se sanctum Pascha *Aquisgrani* acturum: quod ne fieret, repentina & gravis infirmitas distulit, quæ divinitus tantum ei timorem mortis incussit, ut alios dignitate exutos, alios suæ gratiæ dulcedine iniuste privatos, remittendo priori redderet loco. Convalescens autem, necessitate cogente, *Patherbrunensi* monasterio festa paschalia celebravit, quod eatenus Regibus insolitum fuit. Tempestatis validæ horrida tenebrositas homines subito perterruit, quam fragor & ignis subsequuntur; & in locis quibusdam ecclesias subvertentes, multa alia damna commoverunt. Idus Maii Luna I. Feria VI. *Henricus* in sancto Pentecostes, maxima confluyente caterva, *Meresburg* se colligens, obvium habet *Bolizlavonem* cum magno apparatu diversorum munerum, pacis gratia sua omnia seque dudentem: quem benigne suscipiens, paucos dies secum morantem, ut par erat regiæ dignitati, claro honore adauctum, non tamen sine sui regni detrimento permisit remeare. De *Slavonia* & multi nuncii venerunt, quibus interfuit *Othelricus de Bobemia*, cum donis etiam honorans faciem Regis: cui, licet inter se & fratrem suum *Geramirum* & præfatum *Bolizlavonem* ira permanente; læta succedunt, dato honore patriæ, misso in exilium suo fratre. Obiit *Egwardus* Presbyter & monachus in claustris. Rex sapiens *Henricus*, stultorum forsitan depravatus consilio, *Fuldensis* monasterii bona miserabiliter diripuit, dum sibi fratrum vita displucuit. Data occasione corrigendi inavaluit potestas destruendi. Diffugiunt hac & illac vagantes, qui erant cœnobitæ, jugum Christi portantes. C.C. & LXX. annis à *Carolo*, primò eo loci serviebant Deo: nunc nostris temporibus, proh dolor! spectaculum facti mundo & sibi met dolori, & aliis manent timori. Commotio quoque aëris valida & hoc anno fiebat, ut per plurima loca ædificia ruerent, & res quædam pretiosæ à fulmine tactæ interirent. In monte etiam *Luniburgensi* horribilis hiarus terræ patuit, ipsi templo minas ruendi præbens, & incolis timore perterritis, spem confugii funditus ad tempus auferens. Rebus in *Saxonia* rite dispositis, Rex *Italian* secundo intravit. Eodem anno inundatio aquarum nimia facta est, multa damna ferens XVIII. Calend. Januarii, Luna nona, feria III. quod Rex parvipendens iter, quod cœperat, peregit. Natalem Domini *Papie* honorificè celebravit. Hoc etiam anno MXIII. contentio magna facta est in monasterio *Geronis* Magni Marchionis inter *Arnulfum* Episcopum & *Geronem* Comitem, ita ut ex parte Episcopi quidam periculum pugnæ vix evaderent meritis sancti *Cyriaci* martyris, cuius festis intererant, præsentè *Hatwiga* Abbatisa.

MXIII. Item diluvium venit. Rex *Ravenna* properans, habita Synodo *Arnoldum* fratrem suum, Episcopali dignitate prius donatum & quorundam vi redire coactum, autoritate *Papæ* ac cuncti senatus consilio revocat: Archipræfulem digno honore stabilivit, aliisque ibidem ritè ordinatis, discedens Romam pervenit. Ivit obviam tota civitas; licet dissono voto, tamen, ut par erat, suo Domino dant laudum præconia, extollentes ad sidera, quo sibi & contectali imperatorum nomen obtinuit. Paucos ibi habens dies, publica re, ut putabat, bene disposita, & immensa pecunia ubivis locorum congesta, accelerat iter ad patriam, non sine damno multorum. Multi autem obsides & alii Romanorum custodiæ traditi, Imperatore redeunte, callide fugam inierunt, violantes pacem, & belli rursus consilia captantes. Hoc etiam anno sol & luna aliaque sidera dant metum tristium signorum, quæ mox pestilentia sæva & mors subitanea sequuntur. Sed & *Misco* *Bolizlavi* filius ab *Othelrico* *Bobemico* capitur, dolo cæsis eius comitibus: ac Imperatori præsentatus custodiæ traditur, sicque patris dolor renovatur. Bonæ memoriæ *Hatwiga* Abbatisa obiit. Obiit & *Bernbarius*



Episcopus Fardensis, cui successit *Wickier* Præpositus Colonienfis. Hoc anno Imperator *Corbeie* venit ad visitandos fratres: quorum vita sibi displicuit, & eam imperiali autoritate corrigere voluit. Unde plures illorum instituta patrum defendentes, & plus justo contra jus imperii favientes, heu misere desipiunt, cum percussi in maxillam, non præbent alteram ut monachi: sed sine consilio rebelles, malè parant pugnam. Quid deinceps actum sit nostris temporibus, magis est stupendum, quam stilo commendandum. XVII. tamen ex illis capti custodiæ traduntur: cæteri vero Imperatoris iussa sectantur. Eodem etiam anno Imperatoris caritas Dominæ *Adelheide* tradidit duas sorores cum filiabus suis, & pertinentibus bonis [ad] *Gheronis* quondam Marchionis monasterium, Cal. Novembr. feria secunda; quod ob monumentum suæ animæ sui que filii construxerat, ac nurum suam, *Hatuwigam* videlicet, religiose conversantem congregationi sanctimonialium præposuit; & *Frebunensium* nobilem congregationem III. Non. ejusdem, feria III. Quibus acceptis, ut decuit tanto nomini, nobiliter enutrit, amplectitur, fovet; & egregiæ matris ac amitæ sapientia, qua se instruxerat, informata, ne vel merito, vel exemplo cuiquam in id institutionis inferiores viderentur, omni pietatis studio diligenter edocet. Imperator quorundam precibus persuasus *Bolizlavoni* remisit filium suum incolumem. In *Bohemia* jubente *Othelrico* multi innocenter occisi sunt, Res miseranda nimiumque stupenda contigit in partibus occidentalium regionum III. Calend. Octob. Feria quarta *Walachri* & *Flanderi*. Horrendæ nubes apparuerunt, quæ per tres noctes, miro modo immobiles, minas intuentibus dederunt. Tertia vero die tonitruum inauditus fragor adveniens, turbavit maria, ut terribiliter intumescerent, & incredibiliter crescendo nubibus inhærerent. Cumque gementes incolæ repentinæ calamitatis miseriam in tantæ inundationis mole conspicerent, & (sicut post mortem *Iuliani Apostatæ*) ne naves ad prærupta montium penderent, vel in antiquum chaos omnia redirent; timore mortis percussi, terga vertere cœperunt: sed peccatis præpedientibus multa millia hominum subito fluctibus interierunt, quia vultum Domini iratum effugere non potuerunt. *Henricus* Imperator *Meresburgiæ* paschale festum peregit. Ibi *Bolizlavo* omnia munera, quæ illi miserat, simul cum gratia perdidit, dum illum legatione superba infestum reddidit.

MXV. Etiam hic in *Valbecki* diem Palmarum agens, nuncios de *Italia* sibi in sacramenta constrinxit, & inde digressus [Mersburg] *Ernestus* Dux in venando periit à suis incautè. Commotio quoque aëris & ictus fulminis eodem anno damna periculosa intulerunt quibusdem partibus monasterii *Sanctæ Mariæ in monte occidentali*. Imperator igitur iterum *Corbejenses* invisens, privilegia & consuetudines aliquas priorum, quas CCXXX & IX annos, *Ludovico Pio* dante, habuerant, potestativè mutavit, & amoto monasterii Patre ignotum, & bonum fortasse, illis adduxit, qui quasi doctior, errata corrigeret, & devios sanctæ regulæ tramitem cautius incedere doceret. Inde illi nimium mœrentes, viam suam, quæ cunctis pene monachis exemplo claruerat, vilescere ingemiscunt, seseque mutuo hortantur potius discedere, quam injuriæ subjacere. Sicque factum est, ut pauci admodum superessent, cæteris seculo, miserabiliter vagando, occupatis. Sed multis iterum Dei gratia conversis placuisse subdere regulæ, quam vana diligere. Addidit etiam Imperator hoc anno legationem mittere ad *Bolizlavum* pro restituendis regionibus, quas abstulerat. Ille, ut solebat, superbe respondit: se non solum propria retinere velle, quin potius non sua diripere malle. Ad hæc Imperator merito indignatus, bella parat, fortiaque virorum millia vocat in arma, cum quibus haud mora *Poloniæ* attigit fines. Tum in primo aditu divina adsunt solatia: hostes terga vertere, alibi nongentos gladio succumbere; ipsum quoque *Bolizlavum* à facie eius eminus evadere. Sicque gaudet animo, suo satellite etiamnum salvo, excepto juvene *Udone* egregio, qui viribus imbellis cum paucis, fortibus tamen, intrepida morte laudabiliter occubuit; cujus cadaver, ut ferunt, à *Miscone* filio *Bolizlavi* lachrimabiliter sublatum, omnibus necessariis diligenter appositis, suis redditur reportandum. Imperator vero dolet, sibi quemque periisse, cui prius contigerat triumphasse. Unde consilio suorum admonitus, collectis copiis exercitum jubet redire. Illi ut erant ignari viarum, per silvam quandam tendunt ad locum; qui vix tantæ multitudinis capax, undique interluente palude, & frondium cingente corona, brevem præbet lassis quietem. Conveniunt primates cæteraque juvenus, suis viribus victoriam jactantes, & pro iteranda strage absentibus inaniter minitantes. Nullus, ut decuit, Deum cælorum & Regem regum studet laudibus extollere, & pro collatis beneficiis dignas ei grates referre, vel de futuris preces effundere. Ideo contigit nobis deslere. Cingitur interim miles collectus subita formidine belli, assunt hostes de insidiarum latibulis, memores injuriæ civium. Hos recessus gladiis, illos spiculis jaculisque excludunt. Exoritur clamor, & siquod erat gaudium, mœrore confunditur, dum utrimque durè pugnatur; & pars inimica cessisset, si nostra peccata non revocassent. Sarcina cujusdam *Friederici* periclitabatur; & ipse, dum vult succurrere suis, coram cunctis prosternitur. Iterum redintegrato dolore *Gero* Comes miserans casum morientis amici, medios fertur in hostes; nunc hos valida dextræ ruina; nunc illos frementi proterit equo. Tandem nimia cæde lassatus, gloriosa mortis pocula inter multos degustavit primus. Cæteri vero, ut se in arcto positos vident, Deum sibi poscunt placatum gementes, quem cognoscunt iratum. Sed non poterat



rat sententia avelli quia constat illos pro Christo mori. Non erat locus evadendi, vel ulla spes vitam sperandi. Certant deinde quam plurimi pro patria fratribusque, & maxime *milites Mauriciani*, sectatores domini, procumbunt fortiter, illi obsequendo, ut conspiraverant constanti animo. *Adelheid, Ira, Thietmer & Gera, Doda & Volckmer*, cum aliis multis feliciter vivunt in caelis. *Miseniensis* Episcopus depositum fidele reddidit caelo, cui successit *Agilwardus*. *Meginus* Treverensis Archiepiscopus obiit, cui *Poppo* successit.

MXVI. III. Id. Februarii, Luna XXX, sabbatho collisiones nubium horrifonae, cum crebra conusatione & imbrium nimietate, plurima subruit aedificia. Imperator in *Padarbrunnam* paschalia festa rite celebravit. *Henricus* Comes bonae memoriae obiit. *Wigman* Comes occidentalis Saxoniae, inter se & *Baldricum* Comitem reconciliata pace, persvadente callida, perfida & avara conjuge eiusdem, infidiis pessimorum in itinere dolose peremptus occubuit.

MXVII. *Henricus* Imperator hoc anno in *Ingilabeim* paschalibus gaudiis festivus interfuit. Eodem anno in cœnobio Monachorum, VIII. Cal. Martii dedicata est ecclesia Sanctae Mariae semper Virginis, & in *Magdeburg* exusta est ecclesia Sancti Iohannis Baptistae, cum monasterio & uno monacho. Imperator etiam hoc anno iterum castra movit contra *Bolitzlavum*, sed nimia pestilentia & mortalitate populi obstante, sine belli effectu rediit in patriam. Cui ilico nunciatur, *Gerbardum* in Francia, plurimis civili gladio peremptis, multa mala concitare. Unde turbatus illo ire paravit. Eclypsis lunae facta est VII. Idus Novembris. Obiit *Thaetdeg* Pragensis Episcopus, cui successit *Eghardus* Nianburgensis Abbas.

MXVIII. Imperator *Henricus* natalis domini festum agit in *Franconofurt*, & sanctum pascha in *Hunnagun*, [*Nimagun*] & hoc anno *Bolitzlavo*, per nuncios reconciliata pace, Imperatoris gratiam recepit. Cometa etiam eodem anno diu visus est, qui luctum nimiae devastationis per *Thiadricum* Galliae partibus, pestilentiam insuper & mortalitatem misero mundo nunciavit. Qua clade obiit *Baldricus* Leodicensis Episcopus, cui *Fulmodo* successit. *Heribrach* Wirzeburgensis Episcopus. *Thiatmarus* Merseburgensis Episcopus. *Arnoldus* Archiepiscopus Ravennatus, *Odda* Venerabilis Magadaburgensis Presbyter. *Athilger* Halberstatensis Praepositus. *Thiatburg* Bernhardi Marchionis filia, seculi onere abjecto, pie conversa, caelesti locatus in aura; alique per plurimi nobiles utriusque sexus de hac luce abstracti sunt.

MXIX. Imperator Natale Domini *Patzelburgensi* civitate celebrato, *Gosleri* quadragesimali tempore transegit. Inde *Walbiki* agens, comitante Imperatrice & venerabili sua nepte *Adelheida* *Quedelingen*si Abbatissa, una cum Episcopis, ac collecto utroque sexu familiae Dei, laudes divinas studiosius alternante, diem Palmarum latus solenniter celebravit. Deinde *Mersburg* paschalia gaudia celebraturus pervenit, quo multorum nequitia manifestata, digna est poena multata. Hoc ipso anno *Fridericus* frater *Cunigunda* Imperatricis defunctus est. Sed & praefatus *Bolitzlavus* *Russiam* auxilio Saxonum sibi subegit. In ipso anno consobrini Imperatoris, filii *Hermanni* Comitum cum *Thiatmaro* Bernhardi Ducis filio rebellare ceperunt: qui tamen comprehensi custodiae deputantur. Interim prior fuga elapsus patriam repetit: sed statim non post multos dies, omnes pariter Imperatoris gratia condonantur. Haec igitur perturbatio ad tempus sedata.

MX. *Bernhardus* Junior Dux, frater *Thiatmari*, congregato occidentali exercitu Imperatori rebellaturus, *Schalkesburg* intravit; quam idem Imperator cum suis obsedit. Sed *Bernhardus* iustitia cedens, interpellante Imperatrice, gratiam Imperatoris, pariter cum beneficio patris, obtinuit.

Eodem anno hiems solito asperior atque diuturnior inhorruit, dura adeo, ut ipsa vi algoris plerique extincti occumberent: quam etiam prius inaudita clades mortalitasque subsecuta, totum pene orbem subitaneo vastans occasu, in momento inque oculi ictu incolumes, ac sua quasi de sospitate certissimos; in ipsis nec non epulis latissimos, inopinato subtraxit. Inter haec ergo communia ac metuenda dispendia, *Metropolis nostra*, iudicio divino nunquam injusto, gravi visceretenus percutitur ulcere; quatuor sororibus, *Emerita* una, in famulatio Christi Iesu nominata; duabus ceteris *Othelbulda* Marchionis *Thiedrici* filia, & *Thiedan*, dignitatem generis morum probitate vincentibus; *Hennikin* quoque, quae minima aetate licet esset & ordine, optimae tamen indolis; una velut horula subtractis: ante quas, ipsa sanctae parasceves illucente aurora, *Lucia*, devota pauperum ministra, emerfo mundi istius pelago, portum ad usque beatae quietis, Dei gratia duce, provehitur. Hoc igitur in tempore, quod nullis retro seculis compertum novimus, Papa Apostolicus cum *Henrico* Imperatore Augusto cenam dominicam festumque paschale in *Pabenberg*, decenti fertur excoluisse ministerio: ibique Imperatoris ac Principum debito obsequiorum ritu aliquandiu honorifice tractatus, multiplici opum copia donatus, dominam mundi, Romam scilicet, Apostolica sibi forte commissam, letus, locuples, revisit ac sospes. Deinde in XV. Calend. August. Feria II, Luna XXIII, incipiente hora diei III. usque post VI. apparuit circulus magnus circa solem, colorem iridis habens, quem alii quatuor lucidiores circuli, binis locis in modum crucis complexi sunt. Attamen tribus rarefcentibus, duo, id est, medius & aquilonaris, diutissime persti-



perstiterunt. Interim *Otto* quidam, nobilium satus prosapia *Francorum*, illicito sibi met matrimonio incaute ascito, dum ab *Archanbaldo*, Moguntinae sedis Archiepiscopo, sepius Ecclesiastico more pro hoc eodem corripere incestu, caeco furibundus amore, dispositis circumquaque insidiis, nefandam eidem Christo Domini parat inferre manum. Sed divina id sceleris prohibente clementia, elapso frustratus antistite, socios, qui navali eundem sequebantur itinere, invadit, capit, custodiae tradit, multisque inhumanè injuriis tractat; eò ferociorq; quo sibi, quem ultra jus & fas sitiverat, Praesulis sanguinem ablatum dolet. Quod cum Imperatori Augusto celeri legatione defertur, habita cum Episcopis totiusque regni primatibus deliberatione, primo per nuncios, deinde per amicos perque semetipsum, ab hac inani tentat revocare vesania: quibus omnibus rebellem refragantemque, communi assensu, anathematis damno subiciunt, ut vel sic jam timore pœnali tactus, civibus matris ecclesiae, dignis pœnitentia lamentis, reddi studeret. Quæ ille omnimodis despectui habens, copias suas cum conjuge in quandam arcem *Hammerstein* vocatam contrahit, quam naturæ ope, non hominum arte, saxigenis undique molibus muratam, Rhenique circumferentia adeo munitam ferunt, ut difficilem cuilibet, vel obsidendi vel quoquo modo oppugnandi, pandat accessum. Hunc ergo locum Imperator Augustus, justitiæ fidens, omnigeno obsidionum genere circumligat, nec ullo rebellibus vel aditu vel exitu concesso, ipsum, Dominici natalis diem ibidem agens, adeo minuit, ut qui semet non armis, non armatorum millibus cessuros meminerant, famis injuria tandem perempti, sola hujus vitæ suspiria paciscendo, instante celebri per orbem Stephani Protomartyris festo, se suaque omnia Imperatoriæ dedunt potestati. Dignum namque erat & justum, ut qui eodem die pro inimicis, inter cruentos lapidantium ictus, pie exoraverat; amicis, matris videlicet ecclesiae filiis, pacem suo reconciliaret interventu. Res mira cunctisque inaudita seculis, incolis septentrionalis plagæ accidisse dicitur. Nam *Albis* ac *Wisara* fluvii insolita inundationis mole non solum alveos suos egressi, sed ab ipso imotenus fundo, quâ, nescio, immani ventorum violentia evulsi, oppida, rura, cuncta circumjacentium latè confinia terrarum; ipsis quoque collibus ac montibus, quos natura quadam præ ceteris sublimitate munierat, altius insurgendo, merfisse, & quod his miserabilius ac omni incredibilius est auditui, villas integras, nequaquam soluta ædificiorum compage, cum inibi degentibus de alia in aliam transvehendo ripam, eadem qua prius positione, constituisse. Inter hæc Ecclesiam quandam, pia majorum diligentia olim constructam, opulentis fidelium ibidem confluentium votis ritè ditatam, eodem quo & cætera impetu, pristino omnimodis statu evulsam, alibi translata affirmant. Supra dicti quoque fluvii, *Wisara* & *Albis*, ternis dierum vicibus ac noctium, flammivomis contra naturam superficie tenus visi sunt arfisse vaporibus. Quid de cadaveribus referam? quorum numerositas, omni humanæ æstimationi difficilis, in plures quasi aggerum cumulos concreta, decrefcente diluvio, dum pia quorundam solertia debitum humandi præbere studeret affectum; tantis tamque tenacibus serpentium colubrum, cunctarumque id genus pestium involucri ita connexa reperiuntur, ut nec ferro nec cujuslibet artis instrumento, ea dissolvendi ullam timida mortalitas viam invenire quivisset. Sed de his quid fuerit, sit vel fiat, Christo, qui eandem gentium pressuram, præconfusione, sonitus maris fluctuum futuram prædixerat, discutiendum relinquimus.

MXXI. His peractis Imperator Augustus, concessæ sibi victoriæ prosperitatisque causa gratias divinæ pietati rependens, alacri tripudio Saxoniam partes aggreditur. Interim procurrente tempore, cum Saxoniam properat revifere, Palmas *Walbeckæ* iterata rite peracturus veneratione; inter ipsa itinera venerabilem *Heribertum* Archiepiscopum humanis excessisse rebus, Imperatorias pervenit ad aures. Hic siquidem divinæ memoriæ Praesul, quam assiduus in oratione, quam pernox in vigiliis, quam in procuratione pauperum sollicitus, quamque in omni religione ecclesiastica studiosus extiterit; quia humana facundia proferre non sufficit: acta divinitus miracula ad tumulum ejus protestantur. Emensa itaque Imperator, quam coeperat, via, cunctis, ut ita dicam, Europæ primis ibidem confluentibus, diversarumque gentium Missaticis ad imperiale eius obsequium undique properantibus, sacrosanctum Dominicæ Resurrectionis gaudium, toto jam corridente mundo, prout decuit talem, eximia celebravit gloria. Hisque Festis paschalibus magno tripudio peractis, *Pantbenopolim* hinc proficiscendo perveniens, sacros dies Pentecostes apud famosissimum eiusdem civitatis Archiepiscopum *Geronem*, non inferiori gaudiorum dignæque venerationis studio; verum, ut gloriosissime valuit, peregit. Proinde curtem repetens regiam, *Alstedæ* dictam, habitoque inibi cum totius senatus plebisque concursu colloquio; pios lenitate permulcendo prædulci, reos distributione terrendo severa, totaque industria patriam muniendo, inter huius provinciae [loca] totum illum feliciter perduxit annum. Post hæc *Halberstadensem* Ecclesiam aggrediens, sancta Thebæorum martyrum solennia, *Arnulfo*, Praesule administrante, honore celebravit dignissimo. Dehinc neptem suam, herilem Dominam *Adelheidam* invifere, *Quedlingensis* dedicationemque basilicæ; licet improvisa inopinataque, brevi tamen deliberatione; quam familiariter instituens: eandem metropolim adeundo pervenit. Quis ille sit, *Cæsare* Augusto adventante nobilium, tam Comitum quam Abbatum comitatus; quæve illa prolis Regiæ in-

sufce-



susceptione imperatoria diligentia; quantaque cleri plebisque tripudiantis occurfio; quamque mysticis Angelicisque ornatibus plebs sacerdotalis compta procederet; quæve Deo sacratarum confluentia virginum, doli fellisque carentium, simplicitateque columbina pleniternitentium; qualisquamque laudabilis illarum fit sonus, quamque parilis illarum fit conventus; quis habitus quisve ipse fit incessus; nec stili officio nec viva voce [quisquam] potis est explicare. Et quid de victoriosissimi Imperatoris referam gratulatione? cui cuncta mundi climata colla subdendo inferviunt, quique eo magis super accumulata gloria merito gaudet, quo se, Deo donante, altiore cæteris, præminentem lætatur universis. Sed ne audientium aures diutina verborum prolixitate protraham, qualiter hæc Sacro-Sancta dedicatio, ipso jubente, fuerit effecta, paucis perstringam. Anno incarnationis Domini MXXI, Indictione III, VIII. Calend. Octob. dominica die, Luna XIII, anno vero Domini *Henrici secundi* regnantis XX, Imperantis VIII, ipso præsentate cum Coniuge, Imperatrice scilicet *Cunigunda*, totiusque regni Episcoporum ac optimatum conventu; ab *Arnulfo*, Halberstadensis Ecclesie Episcopo, dedicatum est hoc templum & altare supremum in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & Sanctæ Mariæ matris Domini, Sanctique Iohannis Baptistæ, & Sancti Petri Principis Apostolorum, Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Dionysii & sociorum eius, ac Sancti Servatii Confessoris. In hoc vero continentur reliquæ Sancti Confessoris Servatii, Sancti Anastasii, S. Vitalis, S. Pantaleonis, Sanctorum Aquilæ & Priscillæ, S. Nicolai, digitus S. Marci Evangelistæ, S. Pancratii, Mauricii & sociorum ejus, S. Clementis, Cornelii & Cypriani, S. Candidi, S. Stephani Papæ & martyris, S. Viti martyris, S. Iustæ Virginis, S. Valentini, S. Iohannis Martyris, S. Alexandri Papæ & martyris, & aliorum plurimorum Sanctorum. *Altare in medio Ecclesie* dedicatum est à *Gerone* Archiepiscopo Magdeburgensi in honore Sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & Sanctorum martyrum Laurentii & Pergentini fratrum, S. Laurentii & Vincentii, S. Blasii, S. Christophori, S. Erasmi martyris, Sanctorum Cosmæ & Damiani, S. Clementis, S. Mauriti & sociorum ejus. Et in hoc altari continetur lignum S. Crucis, spinea Corona. Et in hoc ipso continentur reliquæ Sanctorum martyrum Laurentini, & Bergentini, S. Mauriti sociorumque ejus, S. Vitalis, S. Georgii, S. Vincentii, S. Blasii, S. Fabiani & Sebastiani, S. Christophori, Sanctorum Cosmæ & Damiani, S. Eustachii, S. Quintini, Sancti Liborii confessoris. *Altare australe* dedicatum est à *Meinverco* Pathelburnensi Episcopo in honore S. Liborii, omnium Sanctorum & electorum Dei, Victoris, Candidi, Exuperii, aliorum sociorum. S. Mauriti, S. Hippoliti, S. Pantaleonis, S. Cyriaci, S. Adriani, & aliorum plurimorum Sanctorum. *Altare aquilonare* dedicatum est ab *Elnardo* Misnensi Episcopo in honore S. Bartholomæi Apostoli & omnium Apostolorum & Evangelistarum & discipulorum Domini. Et in hoc ipso altari continentur reliquæ S. Petri Principis Apostolorum, S. Pauli, S. Andreæ, S. Iacobi, S. Thomæ, S. Bartholomæi, S. Philippi, S. Matthæi, Sanctorum Simonis & Iudæ, S. Barnabæ, S. Viti, S. Marci evangelistæ. *In occidentali parte altare australe* in honore S. Remigii, S. Cyriaci martyris & sociorum ejus. S. Sisti Papæ & martyris, Sanctorum Iohannis & Pauli, Sanctorum III. Coronatorum, S. Bonifacii & sociorum ejus, S. Kiliani sociorumque ejus, S. Donati martyris, S. Wenceslai Martyris, S. Anastasii Papæ, S. Innocentii, S. Magni martyris, S. Lamberti martyris, S. Magni Confessoris, S. Odalrici, S. Sixti, S. Arnulfi, S. Meinulfi, Gundulfi, S. Lutgeri, S. Wigberti martyris, S. Maximini, S. Valerii, S. Echarii, S. Ludovici, S. Paulini Treverensis, Sancti Paulini Nolanæ civitatis Episcopi, qui pro filio viduæ se tradidit servituti, S. Ethelberti, S. Martini Confessoris, S. Petroni, S. Zenonis. In hoc ipso altari continentur reliquæ, S. Donati martyris, S. Quintini martyris, S. Materniani Confessoris, S. Adulfi Confessoris, S. Germani Confessoris, Sanctarum virginum de Colonia. *In occidentali parte altare aquilonare* in honore Sanctarum virginum, S. Stephanæ, Laurentiæ, Iustæ, Puffinæ, S. Cecilæ, S. Petronellæ, S. Gertrudis, S. Walburgæ, S. Agnetis, S. Aghatæ, S. Teclæ, S. Barbaræ, S. Afræ, Sanctarum virginum Colonensium, S. Mariæ Magdalænæ, S. Mariæ Zozinæ, S. Felicitatis, Septem filiorum ejus, S. Odilæ, S. Lucæ, S. Adeldridæ, S. Margarethæ, omnium Sanctarum virginum. Et in hoc ipso altari continentur reliquæ sanctarum virginum S. Laurentiæ, S. Iustæ, S. Agathæ, S. Walburgæ, S. Margarethæ, S. Lucæ, S. Iulianæ, S. Columbanæ, S. Cecilæ, S. Sophiæ, S. Felicitatis, S. Afræ, S. Prædixedis, S. Gertrudis. Hac denique regali aula pretiosis reliquiis venerabiliter suffulta, Imperator Romanorum eximius; contactali sua Imperatrice *Cunigunda*, pignoreque regali, herili videlicet Domina Adelheida, quæ decus dignoscitur sanctimonialium, una cum sorore sua *Sophiæ*, cunctisque regni optimatibus, cum communi consensu cleri ac populi, astantibus; illud Apostolicum inhiante desiderans promissum: Qui seminat in benedictione, in benedictionibus & metet; pluribus auri sericorumque donariis, doteque hæreditaria, quam maximè hanc laudabilem Basilicam honorificè ditavit. Deinde Sacro dedicationis hujusce die octavo [apud] Meresburgensis ecclesie dedicationem (pro corruptilibus incorruptibilia, pro temporalibus æterna, quæ oculos non vidit, nec auris audivit, nec in corda ascenderunt humana; quæ Deus præparavit diligentibus se; visceretenus sitiendo) non impari tripudiavit gloria. Perfectis itaque consummatisque, ut prædiximus, dedicationum gaudimoniis, Imperator Augustus locum quendam regni sæpius supra memoratum, *Alsted* dictum, via aggrediens accelerata, conductisque Germaniæ primis, prout censura exigebat imperialis, ma-



gnum ibidem peregit consilium. Rebus namque regalibus, prout sagacis sui ingenii industriam decuerat, sapienter compositis, se suaque omnia aureæ Saxonum, faxea corda gerentium, fidei commendavit: in quibus patres, sceptrigeri Imperatores videlicet, vincendo regnantes, regnando fructuose imperantes, firmissimam spei infixerant anchoram; quosque regni columnam profitendo; munimenque egregium congaudendo; paciferumque heroum germen inclitum, veste togata, (sed nunquam vel sero scissura) continuo indutum gratulando; nil illis, excepto Deo cognatoque sibi diademate, præferre studendo; paterno dilexerant affectu. Quo factò, sic rei eventu exigente, idque regni optimatibus inhiante postulentibus, Alpium devia transvolando proficisci inchoat. Quarum difficultate enisâ, cunctas regionis illius provincias vincendo, regnando, imperandoque transmeans: natale Domini, more Imperatorio, oris Italicis gloriose potestativeque perduxit.

MXXII. Post hæc de loco in locum proficiscendo, urbis munitissimæ, Trojæ videlicet, mœnibus, cujus indigenas provincialium legatione, ditioni regis recognoverat rebelles, bellicosam invexit aciem: quam etiam, licet obsidione longa suorumque sudore plurimo, more avorum atavorumque Regum, victoriosissime devincens, incolasque hujusmodi aut neci tradens aut captos colligari præcipiens; quos antea animo contumaci sibi ingemuerat renitentes, suo postmodum Domino, Deo cooperante, gaudebat subiugatos. Sed his prosperitatibus non elatus, verum sapientia scientiaque Dei præditus, hujusmodi victoriam non sibi sed pietati divinæ apostolicisque imputans meritis, Romanæ apicem sedis, gaudento supplicans, glorificando adorans, accelerat. Ibi que aliquantulum moratus, regni illius optimatibus pace gratiaque sui redimitis, nivosa Alpium cacumina citato transgreditur cursu; tanta videlicet mortalitate subsecuta, quæ vix aut nulla tenus vocum nutibus, vel etiam officiis stili valeat enucleari. Quam Imperator Augustus, cælitus adumbratus evadens, sed raro milite comitatus, exceptis his, quos sibi mater Europa [Teutonia] occurrendo admiserat, Germanicas pervenit ad oras, magnumque mox synodale concilium, confluentibus undique diversarum regionum Episcopis aliisque populis quam plurimis, in partibus peregit occidentalibus. Hisque, prout res tempusque poscebant, peractis, Grona vocabulo dictum quendam perventum est locum, quo, regali in præsentia, inter geminos Præules, *Geronomem* videlicet & *Arnulfum*, nefanda omnique pio execranda exoritur seditio dico necanda; quia periculosa, periculosa; quia, ut vereor, illos perditura; amborumque necem perdurabat, proh dolor! expectatum. Dehinc *Bernbardum* Hildeshemensem Antistitem humanis divulgatur excessisse. *Erispa* beatæ memoriæ sanctimonialis fœmina, subtrac̄ta seculo cæli connumeratur palatio. *Ludolfus* Præpositus corpore resolutus, lætum Deo tradidit spiritum. *Riedagi* Marchionis præclara filia, *Gerburg* nomine dicta, studiis liberalibus à primævo juventutis flore honestissima exercitatione irretita, omnigenisque virtutum gemmata insigniis, III. Calend. Novembris terræ, quod suum, Deo, quod proprium, præsentavit.

MXXIII. *Oda* religiosissima domina, primogenita Marchionis *Theodorici*, homine exulta redditur cælo. *Burgareda* licet ætate tenella, magistrorum tamen diligentiam optime sudata, tam morum probitate quam generis dignitate pollens, morte prævenitur immatura. *Henricus* imperator Augustus Albas festaque paschalia, Principibus turmatim undique confluentibus, *Meresburgæ* rite peragens, quod rarum vel penitus videtur inauditum, terna unius eiusdem templi dedicatione gratificatur. *Gerburg*, dum sancta religio optime viguit, à Prioribus canonice nutrita; sed jam emerita, rebus eximitur humanis. *Arnulfus* Halberstadenfis Episcopus, sapientia divina præditus, scientia humana facundus, cunctis perpetim seclis lugendus, cæli collocatur palatio: postque huius dormitionem clerus totusque populus quendam *Hermannum*, natu nobilem sed morum artiumque probitate nobiliorem, seniore suum antistiti eligunt *Vicarium*: maximè proceres, beato Protomartyri Stephano habitu militari deservientes; centies centuplicata pecuniarum præbentes munera: & quo velle suum, præfata, videlicet electio, eò firmiter stare, hæreditates proprias potestati regis subdere non differunt. Nam, quo id ordine fieri nequiverit, nescientes: utrum id nostra præpedierint crimina, quibus suæ cordi esset subesse parochiæ; an illum pietas divina, virtutibus auctum perfectioremque, ad id opus aliis servaverit temporibus, divino relinquimus arbitrio. *Fridericus* Regalis camerarius, herili procerum stemmate natus, imperiali nimium auctus affluentia, nobilibus conversatus, prior primatibus, quam oris susceperat Italicis, ægrimoniâ depressus, onus limosæ molis dormiendo deposuit. Cuius morte Imperator non modicè sauciatus, pauperum sustentando inopiam, regionis huiusce cœnobii, pro adipiscenda animæ ipsius salute, maximis ditavit opulentis. *Gbero* Archiepiscopus, multis doloribus affectus, suos post se non sine dolore relinquendo, seculo moriens, sed Christo vivens, obiit. *Ailwardus* Episcopus, rebus uti, pariterque sciens modum servare fruendo, non modicis à suis, ut decuit talem, deploratus gemitibus, inopinata prævenitur morte. Eodem anno *Bernbardus* Mekilinburgensis Episcopus, & *Eilbardus* Pragoënsis Episcopus, aliique Antistites quam plurimi obierunt. Ergo extinctis tot tantisque Sanctæ Ecclesiæ doctoribus, *Henricus* Imperator Augustus, tanto comperto casu, non mediocriter sed anxie tristeque dolens, aliquantum temporis his regionibus



bus mœstus duxit. Interim Dominicæ Nativitatis festa digna celebraturus reverentia, regio comitatu, prout decuit, *Bavanberg* profectus; inibi turba desolata diversis Episcopis, cœtervatim illum convenerat, unusquisque pastoris sui nece cordetenus fauciatus. Cujus providentiæ & curæ, imperiali potestate, committerentur regendi, omnes trepidâ curarum ambage suspensi manebant. Verum Imperator inito destinationis decreto cum his, quos summos habuit in consiliis, induxit animum, *Hunfrinum* Geronis Archiepiscopi Vicarium constare. Eadem die *Brandagus*, *Vuldensi* abbatia antea sublimatus, *Arnulfi* Antistitis successor existens, sacri ordinis honore constat sublimatus. *Huprecht* Vir summæ industriæ, *Ailwardi* Præfulis in loco, jura Episcopatus obtinuit. *Hiza* sacerdotali officio ordinatus, *Eghardi*, *Pragensis* Ecclesiæ Episcopi, vice successit, aliique quamplures ad eundem ordinati honorem, quibus Sancta Ecclesia mira firmitate manet subnixâ; quos nominatim perstringere longum videtur.

MXIII. Post hæc Imperator diversis doloribus cruciatus, eodem loco crebra infirmitate diutinas protraxit moras, resumtisque demum post tantæ gravedinis molem animi viribus, citato cursu, si id, quod voto tenuit, effectu perfici possit, *Parthenopolim* ire instituit. Tandem post longam deliberationem, laboriosi itineris difficultate emensa, diem *Palmarum* in loco *Alstede* dicto festivè peregit: die vero reconciliationis, exigente infirmitatis gravedine; remota à se, quæ convenerat, turbâ; paucis secum comitantibus, in *Nuwanburg* cœnam Domini, nec non *Parasceven* egregiè celebravit. In sabbatho ergo sancto, contracto senatus conventu, contectali sua *Cunigunda* una comitante, *Parthenopolim* adeundo pervenit. In susceptione Imperatoria, qua autoritate cuncta sint rite disposita, ordinatim exponere longa est series. Verum redeamus ad rem: siquidem Dominicæ resurrectionis gaudio celebri honore peracto, Imperator *Augustus*, ab eiusdem loci Antistite auri sericorumque varietate plurimum donatus, *Halverstadensem* metropolim ire contendit. Ergo athleta *S. Stephani* regularis normæ religiositate choros ducentes, ac pari concentu quæque dulcifona canendo, *Cæsari* *Augusto* ac regis adventanti aula, quali quantoque occurrerint tripudio; insuper etiam præclari proceres, militari jure Protomartyri *Stephano* fervientes, qua diligentia victoriosissimo Imperatori *Henrico*, omnigenarum affluentia divitiarum assisterint ministrando; quamque in donariis auri gemmarumque mira haberetur species, quæ imperatoria dignitate ibidem constat donata; nec humanis [mentibus] excogitari, nec literis valet comprehendere. Quid plura? Remota morositate, *Gosleri* aggreditur, peractisq; inibi decem diebus, quendam locum, *Grone* dictum, festivè appropinquat, ibique diuturna ægritonia per longa temporum fatigatur curricula. Tandemque amaræ mortis deebriatus poculo, quod Summi Arcitenentis dono acceperat, homine deposito, cœli intulit palatio. Dehinc flebili querimonia, incredibili frequentia comitante, iuxta id, quod ipse decreverat, *Bavenbergensi castello* defertur, & qui vivus Sanctæ Ecclesiæ magnum extiterat solatium, perpetuò lugendus, ingenti honore mixto etiam fletu ac mœrore, terræ deponitur. Facto autem in brevi totius Senatus conventu, *Conradus* inclita Regum prosapia ortus, in regnum eligitur atque à *Moguntinæ* Ecclesiæ Archiepiscopo *Aribone* unctus, coronatur. Parvo dierum intervallo etiam *Gisilia*, divinitus jam præelecta, jussu & advocacy Regis, ipso ibidem persistente, *Moguntiam* convenit, præsentemque Imperatrice *Cunigunda*, omniaque ad hæc pertinentia honestè, ut decuit, administrante, à Præfato Episcopo, sub multo cleri senatusque conventu, honore regio benedicatur ac coronatur. Inde progressus Rex, una comitante Regina, *Neomagum* deveniunt, ibiq; aliquandiu demorati, postea occidentalia peragrantes loca, *Fretbenman* præclaram subintrant; ubi Imperiales filia ac sorores, *Sophia* videlicet & *Adelbeida*, lætæ occurrunt, latioresque, uti jus consanguineum exigebat, ambos suscipiunt. Inde *Trutmoniam* pervenientes, convenientibus ibidem occidentalibus Episcopis ac primoribus, aliquantum temporis peragunt. Inde *Mindensem urbem*, festum dominici natalis celebraturi, conveniunt.

MXV. Epiphaniam Domini apud *Patbarburnenses* festive ducunt. [Rex] multa disposuit. Postposita ergo omni dilatione progressus, insigne decus sanctimonialium, *Quedlingensem* metropolim, celeriter properat. Inde digressus, *Parthenopolitana* urbis mœnibus purificationem Sanctæ Mariæ summa perficiens diligentia, *Mersburgum* lætus aggreditur. Inde per urbes & loca provinciarum profectus diversarum, regiones nationum suæ ditionis imperando subiugavit. Res admiranda nostrisque temporibus vehementer stupenda II. Non. Februarii contigit: siquidem sol, aureis invecus quadrigis, dum mediam poli arcem miræ sui splendoris claritate perfunderet, subito sub terna figura visus est fulsisse, quod mirabile prodigium rei eventu postea constat probatum. Rex Dominicæ resurrectionis festa in civitate *Augusta* paschali gaudio solenniter erat celebraturus. Eodem anno fames prævaluit, & multa loca incendio perierunt. *Bolizlavo* Dux *Poloniæ*, obitu *Henrici* Imperatoris *Augusti* comperto, elatus animo, visceretenus superbiæ veneno perfunditur, adeo, ut unctam etiam sibi imponi coronam temere sit usurpatus. Quam animi sui præsumptionis audaciam divina, mox subsecuta est ultio. In brevi namque tristem mortis sententiam compulsus subire. Post hunc filius eius *Misuka*, natu maior, haut dissimili superbia tumens, virus arrogantia longè lateque diffundit. Rex vero, dispositis apud *Saxoniam* reipubl. necessariis, *Franciam* ingressus,



sus, apud Augustam more regio pascha celebravit, atque non multo post pro adipiscendo honore imperiali ac Romanorum regno, *Italiam* iturus, *Tiburiam* devenit; ibique sub multo populi conventu, ordinatis sapientissimè rebus, iter destinatum, una comitante Regina, aggredditur; filiamq; unicam unice dilectam, dilectæ ac adoptivæ sibi sorori, *Adelheida* videlicet Abbatissæ, nutriendam transmittunt. Mox quoque, percepto Domine *Beatricis* adventu, præfata Imperialis Abbatissa, *Trobiki* cum suis occurrens, læta *Quidelingeburgensem metropolim* secum duxit. Quo vero honore, ut regiam decuit prolem; quoque caritatis affectu; quave diligentia ab ipsa ac sanctimonialibus, in loco præmemorato consistentibus, omnibusque sibi subditis suscipiatur ac postmodum nutriatur; vel qua morum, verborum actuumque indole, per singula ætatis incrementa, profecerit, scire aut facundia in dicendo nulla suppetit. Quamque laude proferam, quod inter prima.

## XXV.

ANNALES ANTIQVI  
CORBEIÆ SAXONICÆ

subinde continuati.

DCCCXV. Kal. Jul. in solempni curia, quam in *Patherbrun* habuit *Lothewicus*, Karuli F. fundatio *Corbeia* Saxonica, ob votum patris & laudabilem pietatem Regis, decreta & cœpta est.

DCCCXVI. Iunior *Adelartus*, Abba veteris *Corbeia* in saltu fabricare cœpit ad similitudinem aureæ *Corbeia*, Ordinis. S. P. N. Benedicti.

DCCCXVII. Tres stellæ fulgebant in hoc novo cœlo Saxonico, *Adelartus*, *Werinus*, & *Ansgarius*, qui errantibus in tenebris viam monstrabant ad cœlum.

DCCCXVIII. Ferbuit religio in loco tenui & solitudine sylvestri.

DCCCXIX. Circa finem anni magnus factus terror & confusio à tempestate insolita.

DCCCXX. Fratres sereniora sperantes acrius & ardentius sacra curabant.

DCCCXXI. Verum summam eorum penuriam, ad majorem sui glóriam, divina ordinabat providentia. *Casus*, Abba cœnobii in *Visbeci*, cum omnibus suis, sub Regia defensione & emunitatis tuitione recipitur.

DCCCXXII. Fratres de saltu ex *Hechi* migrant partim ad *Wisarah*, & secundum primi Fundatoris nostri Karuli intentionem, in villa *Hüxori* fabricare cœperunt, in honorem Dei & B. Stephani, primi Martyris N. T. consecrante antea locum *Batburato*, Episcopo in *Patherbrun*, VIII. Kal. Sept.

DCCCXXIII. Primus autor & Abba hujus *Corbeia* ad *Wisarah* est *Adelartus senior*, consanguineus *Karuli* & *Lothewici*, exul nuper, nunc cum Rege reconciliatus, Vir sanctus & utilis.

DCCCXXIV. In ligneo templo omnia vasa Dei aurea cum admiratione Saxonica.

DCCCXXV. Sub bono enim Pastore grex Domini auctus & adamatus est miserabiliter.

DCCCXXVI. *Lothewicus* Rex, una cum *Lothario* suo, monasterio donat capellam in *Heresburg* cum omnibus rebus. *Adelartus* noster obit in bona senectute. Succedit (\*) frater eius *Werinus*, nobilis Francus.

DCCCXXVII. *Ansgarius* Apostolatûs munus subiit cum fratre *Auberto*, desideratus à *Heriolto* Rege converso. *Thiagrinus* noster fit Episcopus in *Halversied*.

DCCCXXVIII. Bona cum religione & cœtu fratrum crevère in immensum.

DCCCXXIX. *Werinus* Abba ex periculoso morbo, ob votum *S. Laurentio* factum, feliciter reconvalescit.

DCCCXXX. *Hildovinus*, Abba *S. Dionysii*, pro salutari pœnitentia missus est *Corbeiam*. *Werinus* Lothewico Regi semper fidelis: confirmatur traditio regis villæ *Hüxori*, cum omnibus finibus & appertinentiis, facta *Adelarto* in perpetuum.

DCCCXXXI. *Ansgarius* noster Episcopus in *Hammaborg* designatur à Rege *Lothewico*, & *Gaubertus* in *Specia*.

DCCCXXXII. Accipit monasterium piscationem in *Wisarah*, in pago *Wimodia*, cum XXXII familiis. *Nithartus* noster primus in *Svecia* Martyr.

DCCCXXXIII. Mercatio publica cum jure monetandi datur ab eodem *Lothewico*: item facultas coquendi falem in DUCATU *Butbinveldio*.

DCCCXXXIV.

(\*) VVerinus non fuit frater Adelarti. qui Francus erat, ipse Saxo filius Ecberti & Idæ.